UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Homiliæ Qvadragesimales Reverendissimi D.ni P. F. Hieronymi Baptistæ De Lanvza Venerabilis memoriæ Episcopi Barbastrensis & Albarrazini, Ord. FF. Prædicatorum

Ex Hispanico idiomate in latinum perfectè fideliterq[ue] iuxta posteriorem omnium, nouamq[ue] editionem translatæ, & ab innumeris cùm S. Scripturæ, tùm SS. Patrum typographicis erroribus emendatæ ... cum triplici Indice ...

**Lanuza, Jerónimo Bautista de**

**Antverpiæ, 1649**

Tertio die Veneris Quadragesimæ: Homilia Decimaseptima. De parabola vineæ. Homo erat Paterfamilias qui plantauit vineam & sepem circumdedit &c. Matth. 21.

urn:nbn:de:hbz:466:1-52962

Visual Library

# SVMMARIVM

## HOMILIÆ DECIMÆSEPTIMÆ SEQVENTIS.

PROPONIT Chriſtus hoc in Euangelio Iudæis, ſub nomine perfidorum
agricolarum, quam in eum commiſerant, malitiam, dum in pleno con-
cilio mortis innoxium condemnant, pariter pœnam prædicit tanto
ſcelere condignam: nos autem per eos præmonet quæ nos pro noſtris
maneat pœna ſceleribus: *a*. Tribus diſtinguitur articulis. Primus, Dei *a* §.1.2.
declarat bonitatem. Secundus, rebellem notat malitiam Iudæorum, & ſuperuen-
turum eis indicat ſupplicium. Tertius, demonſtrat quod in illis ab illo præmonemur.
Quoad primum, Dei proponit bonitatem; Primò: in plantando vineam, quæ pro fru-
ctibus ſpinas eſſet tribuloſque productura. *b*. miranda quoque figura dicitur palmes *b* §. 3.
Chriſtianus. *c*. Secundo: dum eam lege ſua circumcingit. *d*. Tertio: dum illi cuncta *c* §.4.5.6.7.
procurat neceſſaria. *e*. Quod ad ſecundum ſpectat; exponit qua ratione Prælati cen- *d* §.8.
ſeantur & agricolæ & procuratores; qui fructus deberent referre. *f*. temporibus ſuis. *e* §.9.10.
*g*. Reliquit illos Dominus liberos. *h*. illi verò adeo fuere non grati, vt duriùs famulos *f* §.11.12.
exceperint, qui fructum venerant exacturi, quinimo & Domini filium occiderunt, *g* §.13.
ob quod facinus eos male perdidit. *i*. Si tertium conſideremus, concludit, quod ſi Iu- *h* §.14.
dæi ſicut agricolæ malè vapularint, nos cum Iudæis nouerimus eſſe puniendos, ſi *i* §. 15.
cum illis eiuſdem criminis eſſe rei conuincamur. *k*. *k* §.16.17.18.19.20.21.

§. 1. *Siquidem Iudæis hanc Chriſtus propoſuit parabolam, nobis tamen loquitur, velut Dauid in morte Saülis.*

§. 2. *Iudæos Chriſtus in propria cauſa iudices eligit, quos ſuo capit hamo velut Behemoth.*

§. 3 *Velut vrſi, qui rationis parabolæ vi concluſi ac conuicti, contra ſeipſos tulere ſententiam; in Chriſtum inſurrexerunt, eius necem machinati.*

§. 4. Homo erat. *Plantauit Deus vineam, quam fructum amarum daturam ſciebat: quia Pater eſt.*

§. 5. Plantauit vineam. *Dicitur palmes eſſe Chriſtianus, qui niſi fructum ferat, ſolì conuenit igni.*

§. 6. *Ferre tenetur fructum Chriſtianus cum velut palmes putetur & colatur.*

§. 7 *Plantati ſumus in Eccleſia, ſicut palmites, ex libera, meraque Dei bonitate, quod indicat oleum Iacob.*

§. 8. *Hoc ſummi beneficij loco poſito, plantatum te in hac vinea, ne tibi ſuccedat, quod Adamo ingratiſque, philoſophis accidiſſe nouimus.*

§. 9. Sepem circumdedit ei. *Sepes eſt lex Dei, quæ ſi cadat, intrant feræ, & vineam demoliuntur.*

§. 10. *Ob deſtructam ſepem, deſtruitur Sichem, & ob eandem in domo ſua à Iacob erectam, & ipſe quoque conſeruatur, hoc quoque poſtulat Dauid, dum legem Dei vult cuſtodiri nimis.*

§. 11. Fodit in ea torcular. *Tam abundanter prouidit Deus vineæ ſuæ, vt ei dicere liceat:* Non plus vltra.

§. 12. Sepem circumdedit. *Indicat quoque ſepes diuina beneficia, & diabolus eſſe cenſetur, qui illa ſeptus, offendit Deum.*

§. 13. Locauit agricolis. *Sunt Prælati agri-*



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*gricolæ, & quiſque in ſe, ſimul & palmes eſt & agricola.*

§.14. *Domini eſt vinea, procurator homo, qui qui fructum adferre tenetur, non Domino, ſed ſibi ipſi.*

§.15 Fructus temporibus ſuis. *Ab omnibus non pares repetit Deus fructus, vt ex decimis declarat, & illos noſtro repoſcit têpore.*

§.16. Peregrè profectus eſt. *Nos liberos permittit Deus, & ſuum recipiendi fructus oſtendit deſiderium in eo quod agit.*

§.17 Miſit alios. *Magnam ſuam Deus oſtendit miſericordiam, qui tot mittat famulos, ac tandem vnicum filium.*

§.18. Malos malè perdet. *Chriſtianus non referens fructum multò punietur grauiùs quàm ipſa ficulnea, & Rex Baltaſar.*

§.19. *Si Iudæi ob non redditos fructus vineâ expelluntur, quid timendum Chriſtiano, qui ne fructum quidem offert vnius Phariſæi.*

§.20. *Sicut timuere Iudæi videntes eiectos ad littus maris Ægyptios, timeat quoque Chriſtianus, dum Iudæos cernit per omnes diſperſos eſſe nationes.*

§.21. *Chananæos, quia peccatores, eiecit Deus, & Iudæos ſubſtituit, hos vt ingratos exturbauit, & Chriſtianos ſubrogauit; quod ſi hi peccatores, quid cum illis agendum?*

# HOMILIA XVII.

## DE PARABOLA VINEÆ.

### Tertio die Veneris Quadrageſimæ.

*Homo erat Paterfamilias qui plantauit vineam & ſepem circumdedit ei.* &c. Matth. 21.

☞ 1 HOc D. Matthæi hiſtoriographi euangelium illud eſt, quo Chriſtus ſummis ſacerdotibus, ac ſynagogæ principibus longiſſima parabola proceſſum exprimit adeo fulmineum, aptéque concinnatum, vt illi ipſi huius argumentis conuicti euidentiſſimis ſupremam, triſteméque in ſeipſos ferant perditionis mortiſque ſententiam. Iam magnam Dei Domini noſtri ceſſit iuſtificationem id quod prioribus egerat têporibus: ſic notat Abbas Rupert. dum enim mortis decretum in matrem proloqui determinat, totam litis cauſam iudicio committit cenſuræque filiorum, quos iudices ſibi adſciſſit irrefragabiles: *Iudicate vos matrem veſtram, iudicate vos.* Semel ac bis idem repetit pronomen *Vos*: vt more noſtro loquimur. Teipſum ſtatuo, teipſum ſumo in hac cauſa iudicem. Quid hoc rei Domine, num arbitros in cauſa matris eligis filios? Ex iure parentes iudices laborant ſuſpicione, nec leges permittunt in cauſa fratris fratrem elegi in iudicem, quantò minus in cauſa matris filios deſignari iudices: amor enim filiorum in matrem ſtudiuméque beneuolentia ab omni matrem abſoluet ſupplicio, liberaméque iudicabit. Ita nihilominus Deus ſuam in matrem cauſam iuſtificauerat, vt illam proprijs commiſerit filijs diſcutiendam eoſdémq; ad ſententiæ prolocutionem iudices ſedere voluerit. Maiorem adhuc hodie Chriſti iuſtificationem oſtendit Euangeliſta, qui litem Principibus ſacerdotum, illique populo intendens ingratiſſimo, illis ipſis omnem fidit proceſſum finiendum, iudicéſque in propria cauſa vult eſſe definitores.

RVPERT. *In c. 2. Oſee.*

I. Deus filijs matris cauſam tradidit iudicandam.

*Oſea c. 2. 1*

Duo Chriſtus voluit ante ſuum ex hac vita diſceſſum verificari, & ſummo iuſtitiæ rigore definiri. Primum: Quòd ille ipſe qui eodem damnatus moreretur, innocens eſſet, vitæ purus, & ab omni ſcelere abſolutus. Secundum: quòd hi qui eum neci adiudicarant, tam enormis eſſent criminis rei, vt tale à mundi creatione nunquam conſtaret fuiſſe perpetratum. Vtriuſque verò præclariſſimum voluit inſtitui proceſſum,

II. Duo Chriſtus ante mortem voluit verificari

totique mundo luce clariùs publica ſententia pateſceret, ambarumque cauſarum iudices ipſos voluit eſſe Sacerdotes; illi cauſam definirent, illi criminis declararent enormitatem, illi Chriſtum innoxium eſſe proclamarent. Quoad primum, agendum Dominica Paſſionis, vbi Chriſtus Iudæos interrogans introducitur: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Quo cunctis agnita eius probatur innocentia. De ſecundo, modernum agit Euangelium, quod vt diximus formalis eſt proceſſus, quo Chriſtus Iudæos accuſat iniquitatis, quam illis ita dilucidè proponit ob oculos, vt illi in ſeipſos mortis ferrent ſententiam. Hocque inter opera Chriſti præclariora, ac eius honori maximè congrua cenſetur eſſe primicerium.

Ioan. c. 8. 49.

II. Proceſſus formalis in Iudæos à Chriſto intentatus.

Opus hoc eminentiſſimum egerat, Lazari ad vitam reſuſcitationem, ex quo Principes ſibi ſacerdotum, immortales eius inimici, illum vt verum eſſe Meſſiam agnouerunt, vt dicemus cùm eo deuenerimus. Cum autem eum vt talem acceptare debuiſſent, pleno conueniunt concilio, quo præſide ſummo Pontifice Caipha; conſenſu & communi nigroque calculo turbæ Principum, ſacerdotum, ac Doctorum, quos ætas illa vt Cardinales celebat, contra Chriſtum proceſſum inſtituunt, cauſamque ſanguinis: viſis autẽ eius vitæ meritis, morum probitate, miraculorũ claritate, quibus meritò vt mundi Dominus ac humani generis Saluator ab omnibus eſſet proclamandus, cauſam itemque finierunt, lata contra eum mortis ſententiâ: Sic enim (concludunt ipſi) communi conuenit quieti, totoque Reipublicæ: *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo.* Illam autem exequi conati non ſtuduerunt, attamen ſe eorum oculis, ac furori Chriſtus ſubtraxit, ad paucos dies in deſerta ſecedens incognitus.

Ioan. c. 11. 50.

III. Cur Chriſtus ſe à Iudæis abſcondit. ratio, Prima. Secunda.

Huius autem receſſus hæc prima aſſignatur ratio: vt feſtiuum illum omnique Hieroſolymæ notiſſimum celebraret ingreſſum ipſa Palmarum die, quo ſuæ dedit ſpecimen potentiæ, & vt illũ Iudæi nonnaquam interimerent, niſi volente eo, ſed ipſe ille eſſet qui ſe vltroneus hoſtium traderet poteſtati crucifigendum. Secunda verò: vt illis verò verius conſtaret, hanc contra eum latam mortis ſententiam adeo iniuſtam inueniri, vt propria ipſi lingua eam tantam fuiſſe pronuntient iniuſtitiam, vt ob eam illos Deus tantâ mulctauerit pœnâ toto extorres eiecerit mundo, & ferali damnarit morte perituros. Noluit mori Chriſtus, teſtatur D. Leo, niſi prius illi ipſi iudices eodem ore quò mortis contra eum iniuſtum tulerant decretum, idem in ſeipſos iudices conuertant. Pilatus in Chriſtum pronuntians ſententiam, eandem pariter contra ſe pronuntiat ſui iudex, dum in totius populi cœtu, illam eandem iniuſtam eſſe proteſtatur; noxias lauat manus, proclamat tamen ſe ſanguinis innoxium: *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius. Quem innocentem pronuntiat, damnat.* ait D. Leo. illi propria morti Chriſtum addixerant, noluit eam tamen mandari executioni; ipſe mori noluit, niſi ipſi prius proteſtentur, tam iniquæ ſententiæ iudices ac latores, mereri perdi æternum, extorres ablegari, ſine ſacerdotio, ſine ſacrificio, ſine lege, ſine Deo, hæc omnia illa continet ſententia, quam proprio ore in propria cauſa protulerunt: *Malos male perdet, & vineam ſuam alijs locabit agricolis, qui &c.*

D. Leo. Serm. de paſſione Domini.

V. Ipſi Iudæi in propria cauſa à Chriſto iudices eliguntur.

Matt. c. 27. 24.

Hoc modo Dominus, fecerat in criminali ſententia lata in caput vitamque pudiciſſimæ Suſannæ. Eam impudici damnant ſeniores: vtpote ſupremi iudices, lapidibus vt adulteram obruendam: iam ad ſupplicium rea trahebatur, excitat Deus ſpiritum Danielis, qui in medium prorumpit, exclamat: gradum ſiſtite, ô viri gradum parumper ſiſtite; mortis decretum in Suſannam hi iudices protulerunt, attamen priuſquam manus lapidibus aptentur, illud ſeriò diſcutiamus, cauſa ventilatur, teſtes examinantur, & ecce tam eſſe iniqua reperitur ſententia, vt ipſi iudices, & comburi vt adulteri, & lapidari, vt falſi teſtes, omnium ore, calculoque mereantur. Vos ipſi me, inquit Chriſtus reum mortis poſtulaſtis, qui clauum tenetis Reipublicæ, primaſque cathedras? Contra me, ſententiam protuliſtis? Nũ manus paratis homicidio, imo Deicidio? Pedem parumper figite, prius, quæſo, ſententiam euoluamus; porro cunctis liquet eam adeo contra omnis iuris latam eſſe æquitatem, vt vos ipſos eiuſdem latores, hac in cauſa iudices ipſe conſtituam. Hoc videtur modò dicere, quod verè quondam illis dixerat, *Iudicemur ſimul.* Ad examen vos prouoco: perſcrutemur, vter cauſâ cadat, ſententiam in caput meum fulminaſtis, qua nixam ratione protuleritis. Ad huius litis examen veriſſimum, parabolam proponit, immediatè poſt ſuum in vrbem ingreſſum Dominica Palmarum, vltimâ priuſquam vitæ ſuæ periodum concluderet concione.

Dan. 13.

VI. Chriſtus Iudæos conuincit.

Iſa. c. 43. 26.

Audite me Principes, adeſte ſacerdotes, vos etenim caſus cuiuſdam, eiuſque grauiſſimi arbitros eligo. Homo erat paterfamilias, homo vt diuitiis, ita dignitate conſpicuus, vineam plan-

tauit pulcherrimam, ſepem circumdedit, qua fructus à latronibus diripiendos tutos ſaluoſque conſeruaret, ædes extruxit iis in habitationem qui vineam curandam ſuſcepiſſent, torcular erexit, & cuncta quæ ad multiplicem eſſent vindemiam neceſſaria comparauit. Locauit eam agricolis ea conditione, vt ipſi ex fructibus eius viuentes, pariter & fructum Domino referrent optatiſſimum. Tempus inſtat vindemiæ, non adſunt agricolæ, qui fructus referant, mittit pater familias ſeruos, qui fructus colligant. Illi verò in tantam degenerarunt nequitiam, vt dum perceptionem audirent fructuum, quoſdam ſtipitibus contunderent, alios lapidibus impeterent, alios interimerent. Pater autem familias tanta licet accepta contumelia grauiter offenſus, inultus tamen diſſimulauit, alioſque remiſit famulos illi verò, ſi priores duræ exceperint, duriùs tamen poſteriores. Verè, inquis, omnem hi pudorem exuerunt. Erat autem illi filius aurea pium formoſior, omnium bonorum heres ex aſſe, aitque. Auertat Deus, ne male hunc quoque excipiant, ne contumeliis afficiant. Filius etenim meus eſt, mihi vnicus illis Dominus, bonorum meorum heres, illum delegat. Vt autem à longe venientem perceperunt, filiumque cognouerunt, cogunt concilium, & dicunt extra controuerſiam eſt; hic vnicus Domini noſtri heres agnoſcitur, nec alium ipſe recipit; ſi illum occiderimus, herede orbabitur, noſtraque fiet hereditas. In necem eius vnanimes conſpirant, & quod concluſerant, exequuntur: dura nimis cæde filium proſternunt perduelles homicidæ.

Ferte nunc ô Principes, ſententiam, quod eſt hoc veſtrum de tanto ſcelere iudicium, quæ cenſura? Reſpondent omnes & quidem ſubtiliter, Res eſt in confeſſo, ſententia eſt iniquiſſima, quam noſtra quoque damnamus ſententia, iuſtumque cenſemus vt paterfamilias non vulgari reos morte condemnet, vineam auferat ingratis, aliis elocet agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis: *Malos male perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui &c.* Optima concluſio, iuſtiſſima ſententia, quam nemo iuſtus reprehendat. Aduertite verò (precor) vos in propria veſtra cauſa dicere, ſententiam, veſtrum vos damnare concilium, veſtramque ſententiam altero ab hinc die contra honorem caputque meum proclamatam: vos enim eſtis agricolæ, vos quibus Deus ſuam commendauit vineam Eccleſiã, & cæſis à vobis occiſiſque ſeruis eius fideliſſimis, prophetis inquam & prædicatoribus, determinato conſilio, mortis in me tuliſtis ſententiam Dei filiũ, qui fructus miſſus ſum vberrimos collecturus, Latiùs rem Chriſtus explicat, illis præſagit, propriam in ipſos retorquendam fore ſententiam, eiiciendos, perdendos, exterminandos, quales hodie Iudæos eſſe contuemur. Faxit Deus, cum illos à ſuæ amandarit Eccleſia vinea, noſque illorum ſubſtituerit loco: debitum fructum referamus, quem ſine dubio vberrimum referemus, ſi ſua nos ipſe gratia conſolidet, quam mediatrice Virgine Deipara, eam ſalutando, conſequemur. *Aue Maria.*

## §. 1. *Siquidem Iudæis hanc Chriſtus propoſuit parabolam, nobis tamen loquitur, velut Dauid in morte Saulis.*

Diuus Auguſt. acutiſſimo intellectus ſui acumine, magis angelico quàm humano, præclaram adducit doctrinam, quâ ex Chriſti parabolis, quas ad Iudæos habuit fructum nobis eliciamus, nobiſque proſit, quod illis fuit prædicatum; probat etenim, quòd licet illas Iudæis propoſuerit, quibus eorum & oſtenderet, & conuinceret malitiam, iuſta pariter oſtenderet eſſe ſupplicia, ac grauiſſimas pœnas, quibus tanti ſceleris rei plecterentur, primariò tamen ad nos dirigerentur, nos ipſe ſingulariter admoneret conformiter vulgari illi prouerbio. (a) Tibi dico, filia, tu capito nurus. Hoc ex D. Auguſt. ſententia, dixit euidenter Rex Pſaltes, vbi ad litteram de Chriſto multa prænuntiat, teſte ipſo Matthæo, dum recenſitis multis parabolis à Chriſto populo propoſitis, ait, his omnibus Dauidis impleſſe vaticinium: *Aperiam in parabolis os meum &c.* Exorditur igitur hunc pſalmum Dauid in perſona Chriſti, ſatis quidem verbis longum, at Sacramentis multo ſacratiorem: *Attendite popule meus legem meam, inclinate aurem veſtram in verba oris mei.* Quibus loquitur? Nõ Iudæis, reſpondet D. Aug. illos enim iam non vt populum ſuum agnoſcebat: *Non populus meus vos, & ego non ero veſter*, ait illis Dominus ex ore vatis Oſeæ præcipit illi quoque, vt tale illi nomen imponat: *Non populus meus*, jam enim Dei populus non eſt, qui eum & negauit, & occidit. *Et non erit populus eius, qui eum negaturus eſt.* Quis eſt eius populus? Gentiles ad fidẽ vocati nos videlicet qui Chriſtiani ſumus, in quibus aſſerit D. Pau. impletum illud Dei vaticinium: *Vocabo non plebem meam, plebem meam.* Et qua phraſi illis Domine loqueris? *Aperiam in para-*

In pſal.

(a) ... le dup... hija ... tienda tu ... nuera.

Matt. 13.34.

Pſal. 77. 1.

1. Gentes non populus ... eius eſt Dei populus.

Oſe. 1. 9.

Oſe. 1. ... 26.

Oſe. 2. ...

*parabolis os meum, loquar propoſitiones ab initio.* q.d. Docere vos volo parabolis ore prædicatis, quibus plurima manifeſtabo, à Deo ex mundi decreta primordio. Quid igitur Domine, numquid non Iudæis varia propoſuiſti ſimilitudinũ ænigmata? Nemo mihi de facili demonſtrarit illas à Chriſto gentibus propoſitas eſſe parabolas; omnes autem ipſis Iudæis Aſſentio: verumtamen Iudæis illas proponendo gentiles in illis voluit erudire: Et hoc eſt quod addit David: *Vt cognoſcat generatio altera, filij qui naſcentur & exurgent* &c. *Ne fiant ſicut patres eorum generatio praua & exaſperans, generatio quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum Deo ſpiritus eius.*

Pſal. 77.

II. Noueris inquit, duas eſſe generationes, vnam malam, peruerſam, impudentem, ingratam, exaſperantem, Deo ſemper infidelem, generationem mancipiorum, ſeruorum rebellium. Alteram verò bonam, gratam, fidelem gentem, quæ de nouo exſurgit, hactenus incognitam, populũ filiorum Dei. Quàm graphicè depingit Iudæorum nationem, quam Chriſtus eadem phraſi deſcribit: *Generatio praua & adultera, ſignum quærit.* quæ Deo numquã fidere voluit incredula, vnoque dato ſigno, aliud requirat quo Deum grauius irritat, eiuſque prouocat iuſtitiam, vt alias latius exarauimus. Generationi huic peſſimæ, ſemini nequam ſuas Chriſtus propoſuit parabolas, attamen non illis primariò, ſed: *Vt cognoſcat generatio altera,* populum intelligo Chriſtianum, ex gentilibus aggregatum; quos ad viuum verbis illis delineat: *Filij qui naſcentur, & exurgent;* filij Dei qui eius gratia totam ſuperant naturã; Erat prima illa generatio ſeruorum, hæc autem filiorum: *Non accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba pater,* ſic D. Paulus. Generationi loquitur ſeruorum, vt audiat, vt intelligat, generatio filiorum: *Vt cognoſcat generatio altera.*

Duæ ſũt generationes ſcpulorum.

Matth. c. 12. 39.

Rom. 8. 15.

1. Cor. 10. 1.

Quinimo hoc ipſum innuit nobis D. Paul. *Nolo vos ignorare fratres: quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt,* &c. Intuere hic abſcondita à conſtitutione mundi, de quibus David: *Loquar propoſitiones ab initio.* Plurima noſtri beneficia noſtris à Deo præſtita maioribus; Dedit illos columnam nubis per diem vt vmbraculum contra ſolis ardores, & ignis per noctem, quo & illuminarentur, & contra nocturna frigora calefierent, ſicco tranſire fecit veſtigio mare rubrum, panes pluit de cœlo, de petris eduxit aquarum flumina ſitientibus. Attamen tantis ingratos beneficiis, ignitis puniuit reos ſerpentibus. Verum quidem eſſe non abnuo, illis hæc omnia contigiſſe, ſed nobis ad morum inſtructiorem: *Hæc omnia in figuris contingebant illis. Scripta ſunt autem ad correptionem noſtram:* vt ex his intelligamus, ſi tam horrendo Deus illos vtpote beneficiis ingratos excepit ſupplicio, quid nobis timendum, qua nos plectet pœna, ſi tantis ab eo receptis beneficiis arguamur inhumani? Quantò enim magis creſcunt collata nobis cœlitus dona, tantò, ne dubites, magis creſcent inflicta ſupplicia, & qui beneficiis beneficia cumulat, & pœnas pœnis ſuperaddet inhumanis. Si etenim ſupplicia illa, licet auditu horribilia, non niſi figuram exprimunt, eorum, quibus noſtram plectet ingratitudinem, ſceleraque caſtigabit: quis intellectu comprehendet, aut verbis exponet, quæ ſint illa futura ſupplicia quæ figuræ huius exprimen veritatem: quod illud huius vmbræ corpus? *Procul dubio ſicut in bonis rebus, multo amplius bonum eſt in eo quod per figuram ſignificatur, quam in ipſa figura, ita & in malis, longe peiora ſunt, quæ ſignificantur figuris, cum tanta mala ſunt, etiam ſignificantes figuræ: nã ſicut terra illa promiſſionis, quo ille populus ducebatur, in comparatione regni cœlorum, nihil eſt, quo Chriſtianus populus ducitur; ita & pœnæ illæ, quæ figuræ fuerunt: cũ tam ſint atroces, in comparatione pœnarum, quas ſignificant, nihil ſunt.* En tibi præſentis Euangelij parabolam; qua Chriſtus litem format iuſtæ Iudæorum condemnationis: qui tot tantiſque cœlitus acceptis beneficiis, mutuam vicem non obſequiis rependunt ad eũ conuerſi ſed mille prouocant ſceleribus, cruciq, condemnant ſeditioſi. Habes & hic noſtræ proceſſum condemnationis: *In figuris contingebant illis, ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram:* quia & præclariora nobis contulit beneficia, & pluribus donis præuenit immerentes. Vineam te plantauit longè ditiorem, tu verò conuerſus tuis eum ſceleribus crucifigis, ſanguinem calcas, mandata vilipendis, voces negligis, parum eſt quod fructus non referas vberrimos, & ſuauiſſimos: inſuper & ſpinas & tribulos terra germinas maledicta.

III. Sicut noui teſtamenti bona excedunt bona veteris teſtamenti, ſic & ſupplicia ſunt grauiora.

D. Avg.

Demus manus D. Aug. idemque cum illo ſentiamus: *Ea continet, quæ in veteri populo acta narrantur, recentior autem & poſterior populus admonetur vt caueat, ne ſit ingratus beneficiis Dei, eiuſque in ſe prouocet iracundiam, cuius obedienter, & fideliter debet ſuſcipere gratiam, ne fiant ſicut patres eorum, generatio praua & amaricans.* Hoc quoque vtitur argumento D. Paul. *Vide ergo bonitatem & ſeueritatem Dei, in eos quidem qui ciciderunt, ſeueri-*

3 D. Avg. In pſal. cita. Tom. 8. Rom. cap. 11. 15.

*ſeueritatem*, *in te autem bonitatem Dei*, *ſi permanſeris in bonitate alioquin & tu excideris* &c. *Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit*, *ne*
IV. Dei contra Iudæos ſeueritas. *forte nec tibi parcat*. Admirare, quo Deus illos puniat rigore, obſtupeſce qua Deus te præueniat & miſericordia & bonitate. Ad huius expoſitionem aſſumit Apoſtolus de olea ſimilitudinem: oleam colebat quis electiſſimam; primum fructus dedit vberrimos, poſtmodum verò ſyluescunt rami, & quò eam diligentiùs curat, infundit, fimo pabulat, eò fructus profert deteriores. Stomachatur agricola, accepta que aſcia ramos præſcindit igni deuouet exurendos, remanet truncus; ex oleaſtro ramos exſcindit, inſerit trunco, vt oliuas referat multiplices, ſuauiſſimas, turgeſcentes. In ramos naturales oſtẽditur ſeuerus, qui fructibus fuere ſteriles, at in oleaſtri ramos totus miſericors, quos trunco inſeruit pulcherrimo. Si hi quoque nec oleas germinent, quid acturum arbitraris? Hæc omnium eſt ſententia, illos pariter reſcindet, ſi etenim prioribus iiſque naturalibus ramis non pepercit, ſed ob negatos fructus ſeuerus excidit, quid acturus eſt aduentitiis, quo non excedet rigore peregrinos? Plantauit Deus veterem eccleſiam, ſynagogam Iudæorum, in præcelſa illa arbore Abraham, Iſaac, & Iacob, ex qua oliua ſeſe in duodecim extendit ramos duodecim tribus Iſ-
Oſea c. 9. 10. rael fructus erat vberrimus in principio: *Quaſi vuas in deſerto inueni Iſrael patres veſtros*, *quaſi prima poma ficulneæ*. Quàm Deo grati quàm eius ſuaues palato? Verum deſciuere rami naturales, degenerarunt Iudæi, qui vt eorum filij erant naturales ac legitimi, Præſcidit illos Deus, diſcerpſit, vages toto diſcerpſit orbe, circumeũt incerti laris, ſolis ignibus vtiles ad comburendum. Gentiles adſciuit, velut oleaſtros in deſerto infidelitatis, huic illos inſeruit Eccleſiæ trunco vt fructum proferant amabilem Domino, eo fine illis dona ſua, gratiamque contulit ſuperaffluentem. Si verò hi omnis fructus inueniantur vacui, & mentiatur Domino ſuo opus oliuæ, quid cenſetis à Domino faciendum? Nemo dubitat, & illos ſimiliter exſcindet: *Vide ſeueritatem*. Heu, quæ tanta in ramos naturales diuina ſeueritas, illos excerpſit, diſperſit eiecit vt oliuæ ramos, igne deuorandos, quibus nec templum, nec ſacrificia, nec legem, nec Sacerdotium, nec prophetas, nec Deum integra ſaluaque dereliquit.

In pſ. 72. Pſ. 72. 18. Optime de his Dauid, ex opinione D. Auguſt. *Verumtamen propter dolos poſuiſti eis*. Quid illis poſuit? Non illud edicit, nec enim verba tantis malis ſufficiunt exponendis, quibus illos Deus ex gentibus eorum peccatis condemnauit. Præcidit illos vt ramos ſteriles, infœcundos. Heu tantum Deus indignatur, tanta in Deo ſeueritas, quis credat? In te autem Dei collauda bonitatem, te, cum oleaſter eſſes infidelis, ſylueſter, aſſumpſit, & in eccleſiæ ſuæ oliuam incorporauit: *Cum oleaſter eſſes*, *inſertus es in bonam oliuam*. O magnam Dei miſericordiam ſi tamen perſeueres, ſi illam cognoſcas, ſi gratus illi, ſi debitis fructibus fæcundus: quod ſi non, caue, ne te quoque vt inutilem præſcindat; qui namque ramos excidit naturales, qui filiis non pepercit legitimis, progenitoribus Abraham, Iſaac, & Iacob glorianttibus, potiori te iure reſcindet, vt peregrinum, de dæmoniorum erutum ſaltu, de infidelitatis extractum deſerto prorſus infœcundum. V.

Huic optimè congruit D. Rabbani Mauri Archiepiſcopi Moguntini conſideratio dum triſtes nœnias attendit Dauidis in morte Saulis: 2. Reg. 1. 19.
*Conſidera Iſrael pro his qui mortui ſunt*, *ſuper excelſa tua*, *inclyti tui Iſrael ſuper montes tuos interfecti ſunt*. Stupeſco referens, Saulem elegit Deus iuuenem abiectum, agaſonem, nullius ſortis, populo ſuo in regem; Samueli præcepit, in ducem illum vngat; ſuper populum exaltat illum vniuerſum. His aliiſque Dei donis non reſpondit inobediens, Dei præcepto refractarius, ea de cauſa ſolio eum dimouit, exuit corona priuauitque imperio: quocirca in eum arma ſumunt Philyſthini, admouent copias, circumuallant legionibus, ipſum autem, totumque populum cœde lamentabili, in montibus Gelboe peremerunt. Triſtem audit Dauid euentum ſtragẽ miratur, caſum exhorreſcit. Siccine: *Saul vnctus* VI.
*oleo*, ſiccine regia ſoboles, ſiccine principes inclyti, fato occubuere miſerando? Ad populum conuerſus, eos ad lamentum triſteſque planctus adhortatur: *Conſidera Iſrael pro his qui mortui ſunt*, &c. Hoc tibi perſuade ait Rabbanus, tecum Dauidem loqui, qui ob hoc te dicit Iſrael; qui idem & Iacob, electus per gratiam ad primogenituram, reprobato Eſau maiore natu, cui primogenita debebantur. Chriſtianus, Iſrael cenſetur, per Dei gratiam electus, ad Dei primogenituram reiecto populo Iudæorum filio primogenito: *Filius meus primogenitus* Iſrael. Iſrael Chriſtiane, conſidera Saul, populum Iudæorũ à Deo electum, vnctum, honoratum, cæteris mundi nationibus celſiorem, ſuper montes terræ proſtratum, quem vt donis cœleſtibus ingratum fœdifragum, ac ſylueſtrem reſpuit, permiſitque

in eum Romani bella mouerent, ſuperarent, ſubiugarent, omnibus exuerent deſiderabilibus templo, lege, menſa, arca, candelabro, ſanctuario, ſacerdotio, ſacrificijs, Deo ipſo, per mundi cardines, vtraque diſperſum abiectum ſeruum, & omnium peripſema. Caue, ne idẽ te caſus obruat, ſi fructibus Deo non occurras vberioribus, operibuſque reſpondeas illis longè perfectioribus. Hoc Chriſtus nobis hodie ſignificat, ad illos parabolæ dirigūtur, ad nos interior intentio: *Vt cognoſcat generatio altera.*

In pſal. 101.

Opinantur D. Hieron. & D. Auguſt. hoc à D. Matthæo peragi, quod Dauid eadem intentione depoſcebat, de illis quæ prædixerat: *Scribantur hæc in generatione altera, & populus qui creabitur laudabit Dominum.* Scribatur illa parabola à Chriſto Iudæis propoſita, venturæ generationi. Quæ, hæc eſt illa? Scribatur generationi, quam Deus in ſui nominis gloriam decuſque procreabit: *Populus, qui creabitur,* nos ipſi ſumus de quibus Apoſtolus: *Creati in Chriſto Ieſu in operibus bonis.* plantati in vinea Domini vt fructibus, boniſque operibus, melius quam ipſi, Dei gratiæ doniſque reſpondeamus. Audiamus autem huius parabolæ epilogum, ac Chriſti concluſionem qua Iudæos alloquitur: *Ideo dico vobis: quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Hoc quæſo perpende, non ſatis fuiſſe Chriſto hæc in fine parabolæ addidiſſe, ſed ad eorum quæ dixerat ſecuritatem maioremque certitudinem aliam ſubnectit immediatè parabolam (præter eam quam præ manibus habemus, de patre familias qui perfidis deletis operarijs, ablataque illis vinea, illam alijs elocauit, qui fructum redderent optatiſſimum: *Dabitur genti facienti fructus eius.* Quia verbis declarauerat ſe per vineam intelligere regnum Dei, ſuam ſcilicet Eccleſiam: *Regnum Dei.*) illam inquam ſubnectit quam refert idem Euangeliſta, cum eodem titulo, Regni cœlorum, quod ait ſimile factum eſſe homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo, ſuorum omnium heredi regnorum, multis ad tanti feſti celebrationem, gaudiumque conuocatis: *Simile factum eſt regnum cœlorum, homini Regi, qui fecit nuptias filio ſuo.* At tanta fuerunt impudentia, tantaque effrœnes iniuſtitia, vt ad ſignatam horam conuocati, & Regem, & filios, & nuptias dedignati luſerint, & venire noluerint; ob quam eorum culpam condigno rex volens plectere ſacrilegos ſupplicio, legiones in eos miſit numeroſiſſimas, vt eos, vrbemque corona cingerent, venire renuentes in vincula conijcerent, vrbem autem traderent incendio: *Miſſis exercitibus ſuis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum ſuccendit.* In eorum autem locum vocauit & ad paratas inuitari iuſſit nuptias aduenas & peregrinos: qua parabola, nemo diuinius, euidentius nemo Iudæorum expreſſit perditionem, quos iam à primæuis illorum progenitoribus Abraham, Iſaac & Iacob non deſtiterat inuitare ad nuptias, quas Deus filio ſuo vnigenito, cum humana noſtra natura ineundas præparauerat. Porro tempore iam inſtante, nedum nuptijs illis frui recuſarunt, inſuper & illas contempſerunt, dum Dei filium hominem factum recipere & audire neglexerunt; quem & in crucem inter duos latrones medium extulerunt: qua de cauſa, & ob id quod in præcedenti de vineæ parabola dixerat, ſeruos nempe ſuos ab illis occiſos, eoſdem inſimulat homicidas: *Homicidas illos.* In cuius ſceleris punitionem illis Romanorum immiſit copias, qui cæderent perduelles: *Perdidit homicidas illos.* Non ait, vt illos occiderent, licet enim eorum numerum occiderint infinitum, innumeros tamen eorum, ad infimam damnarunt ſeruitutem, omnes autem perdidit, inhonoros, ſeruos, ſine templo, ciuitate, &c. vt nec pagum, quem ſuum eſſe dicant, iure poſſideant.

Matt. 22.1.

VII. Iudæi vocati ad nuptias venire neglexerunt.

VIII. Tanti criminis rei grauiter puniuntur

Ipſos perdiderunt, eorum ſuccenderunt ciuitatem, quorum locum Gentiles vocati ſuppleuerunt, qui toto mundo errabundi, honore potiti ſunt nuptiarum. Tu iudex conijce, quid cum illis acturus eſſe credetur, ſi tam acriter in electum ſuum ſæuiat reatque populum? *Vt cognoſcat generatio altera.* Nos illæ tangunt parabolæ, nobis loquuntur, nobis in Eccleſia ſcriptas reliquit. Perpendit Philo Ioſephi prudentiam: illum præmiſerat Deus iam ſeptennali fame mundum extenuaturus, quo ſic prudenter cuncta diſponeret, venturæque inediæ proſpiceret, ne cuncti fame enecti deficerent, quin potius incolumes ſeruarentur: hoc diuinæ opus eſt miſericordiæ, vt plagam inflicturus, prius de præſentiſſimo cogitet mittendo remedio: *Vocauit famem ſuper terram &c. Et miſit ante eos virum &c.* Primum duo illa præclariſſima ſomnia ingerit Pharaoni, ſeptem ſpicarum plenarum, & totidem aridarum; ſeptem quoque pinguium vaccarum, & totidem inedia macilentarum; explicat illa prudentiſſimè Ioſeph: nempe ſeptem his annos præſignari fertilitatis, qui ſeptem alios præcurrerent ſterilitatis. Hoc illi rex imponit muneris, agat Ioſeph pro vt negotio iudicarit expedire. Imperat ille ſeptem annorum meſſem ſupereffluentem in manipulos

IX. Gentes in eorũ vocantur locum.

Pſ. 104. 16.

X. Ioſeph à prouidentia cõmendatur.

redactam horreis regijs aſſeruari. *Venit fertilitas ſeptem annorum, & in manipulos redactæ ſegetes, congregatæ ſunt in horrea Ægypti.* Quæri. Philo, huius facti rationem; cui magis congruum videbatur, triticum iam incuſſum, purum, paleaque mundum in horrea recondi potuiſſe; reſpondet autem hoc actum fuiſſe prudentiſſimè. Primò: quia melius triticum adhuc ſpicis inhærens quàm excuſſum conſeruatur; eſt etenim in illis velut in loco ſibi proprio ac naturali; & reipſa, vt nemo negat, ariſtæ & paleæ vim quandam habent triticum conſeruandi, dum ſiccæ ſunt, quales tum erant, cum toto ſeptennio ſequenti pluuia non ceciderit. Secundò: vt illis ſeptem ſterilitatis annis, non ſolùm hominibus ſufficeret triticum ad eſum, ſed etiam palea animalibus.

Tertiò: ad myſterium, quod tota hac perpendimus hiſtoria ſublimius multò, quàm illud quod Philoni occurrit. O tempus ſummæ fertilitatis, vita Chriſti Saluatoris: tempus remiſſionis peccatorum; donorum, gratiarum, & quod prius dicendum erat, doctrinæ cœleſtis alimenti, de quo illud Iſaiæ meritò proloquimur:

Iſa. 11. 9. *Repleta eſt terra ſcientiâ Domini, ſicut aquæ maris operientis.* Scientia, quæ nos debitam Dei beneficijs docet gratitudinem, quid requirat tantorum donorum æquitas, quâ ſit nobis ratione procedendum, quis modus ſeruandus, ne pereamus; ſicut ingratos illos nouimus Iudæos perijſſe: Ea de cauſa, cœleſtem doctrinam parabolis velut quibuſdam ariſtis, ſeu manipulis inuoluit, vt nos prædicatores boues euangelici illas euentilemus: quodque namque verbum ſpicam refert diuinæ ſapientiæ tritico turgidam, quæ noſtram nobis exponat aut ſaluationem aut perditionem, pariter affirment ſi eandem cum illis ingredimur viam, eundem nobis cum illis finem eſſe ſciamus obuenturum.

XI. Parabolis velut ariſtis, doctrina conſeruamur.

Notes velim, quando Deus ſignum vult præmittere infallibile, illud reduplicat, vt patet in ſomnijs Pharaonis, quæ bina fuerunt; ſignum aiebat Ioſeph infallibile. Sic etiam modo multiplicat parabolas ad vnum omnes collimantes ſcopum, quarum prima ſit de vineæ locatione. Litteram in illis tali modo perſcrutemur, vt pariter in nobis earundem ſpiritum attendamus.

*§. 2. Iudæos Chriſtus in propria cauſa iudices eligit, quos ſuo capit hamo velut Behemoth.*

I. His ſuppoſitis duo Chriſtus prætendit, primum, Iudæis ea & quidem terribilia prænuntiare ſupplicia, quibus in tantæ pœnam ingratitudinis ac rebellionis ſe ſciant eſſe puniendos. Secundum illudque principale, quæ nobis immineant, ſi illis ſceleribus pares eſſe conuincamur, eaque tantò grauiora (teſte D. Auguſtin.) quanto præcellit vmbram corpus, & figuram figuratum. Etenim ſicut prima illa ſerpentum ac ſeruitutis ſupplicia, quibus populi Iudaici mulctauit ſeditionem, eorum noſcuntur eſſe figuræ, quibus nos ſeuerus plectet, ſi eiuſdem criminis rei fuiſſe deprehendamur; ita quoque poſtrema, quibus ab obdurato illo duræque ceruicis populo pœnas ſumpſit facti digniſſimas, perditque ſceleratiſſimos, poſteriores præſignant pœnas, quibus aduerſus nos pari ſcelere notatos, vtetur, ac ſupplicia capiet ſempiterna.

In Pſal. 77.

II. Deinde ſicut illis ob oculos propriam poſuit malitiam ſub ſimilitudine agricolarum & vineæ cultorum, vt inde iuſtam in ſe colligerent animaduerſionem, ita quoque noſtram nobis proponit mentis peruerſitatem in vera eorum perſona, quibus luce clariùs noſtræ nobis pateat æquitas animaduerſionis. Ita igitur dixerim agricolæ Iudæis fuere parabolæ, nobis autem ipſi Iudæi. Huc igitur ſpectat propoſita parabola, vt ſit velut quidam proceſſus in illos à Chriſto intentatus, quem eorum conſignat manibus, vt in propria dicant cauſa ſententiam.

III. Olim priuſquam Deus in populum Iudaicum, & improbos illos diceret ſententiam, vt omnibus ſuppliciorum conſtaret iuſtiſſima ratio, totam cauſam hominum nefariorum tradidit iudicio ventilandam, quaſi qui hoc agendi modo probari vellet ſententiæ æquitatem, quam homines alioqui nocentiſſimi ſuo calculo approbarent, vt iuſtiſſimam. Quodam tempore litem intendit Iſraelitis qui non tolerandis ſuis nequitijs Dei irritârunt patientiam; cum in illos pœnarum vellet proloqui decretum, plures prius, & peregrinas cogit nationes, eas autem præ cæteris, quibus beneficia populo illi à Deo præſtita innotuerant: his litis commendat inſtrumenta, vt ex eis diiudicent: *Auditam facite in ædibus Azoti, & in ædibus terræ Ægypti, & dicite: Congregamini ſuper montes Samariæ;* quaſi ad concilium conue-

conueniant, ſedeantque iudices in montibus Samariæ. Hæ verò nationes præ reliquis nouerant viderantque Dei populo Iudaico conceſſa beneficia. Azotus vrbs erat Philiſtynorum nobiliſſima per quam ciues intelligit, qui in quotidianis certaminibus teſtes viderant Dei ineffabilem miſericordiam, quâ plebi benedixerat. Notum omnibus, quæ viderit Ægyptus Dei beneficia. Diem (imperat Deus) illis dicite nationibus, in montibus cuncti conueniant Samariæ: *Congregamini ſuper montes Samariæ.* Samaria metropolis erat ac caput regni decem tribuum Iſrael, ex qua nomen ſumpſit tota Prouincia duodecim leucis Hieroſolymis diſtans, in montibus ædificata, vnde dicitur: *Super montes Samariæ.* Illuc omnes conuenite, & conſidete; vos eſſe volo iudices æquiſſimos, vobis conſigno proceſſum populo meo à me intentatum: *Videte inſanias multas in medio eius, & calumniam patientes in penetralibus eius, & neſcierunt facere rectum, dicit Dominus, theſaurizantes iniquitatem, & rapinas in ædibus ſuis.* Quis hic proceſſus, quàm ſuis bene formatus articulis, quàm clarè nocentiſſimi populi deſcribit crimina ſtatumque omnium infauſtiſſimum: *Videte inſanias multas*: ſtultas nequitias quas committant, nec vnam tantum, at *Inſanias multas*; viuunt, vt excerebroſi, rationis impotes cæci, in conſpectu ſolis nefandiſſima patrent ſcelera, de illis cum male fecerunt, gloriantur, hoc eſt: *In medio eius.* Abſque vllo ſcrupulo commiſſa peccata, coram omnibus, quot homines, tot teſtes, in medio fori; eorum etiam penetralia, domuumque receſſus abditiſſimos calumnijs, & iniurijs inuenies abundare. Eorum theſauri, ſcelera ſunt, furta ſunt, rapinæ ſunt. Horum vos criminum eſſe volo iudices: *Videte vos.*

IV. Cur non Angeli.

Domine, ſaluo meliori iudicio, ſatius an non fuiſſet cœtum conuocare Angelorum aut Archangelorum, quos omnium ſententiâ, nouimus in iudicio à iuſto non poſſe aberrare? vel ad minus omnes conueniant Patriarchæ, ac Prophetæ, viri qui zelo, vt talibus conuenit, ferueut iuſtitiæ? Nequaquam, ſed Ægyptij, Philiſtyni, populus ſine Deo, ſine lege, ſine ratione qui ſolâ ſcintillâ rationis, qua dono poſſent lucis naturalis, dignoſcent, quam iuſto conueniens ſit ſententia contra illos in meo lata tribunali, qua populum immittam, qui illos affligat, conterat, capiat & ad inhoneſtam vendat trahatque ſeruitutem: *Propterea hæc dicit Dominus: tribulabitur, & circuimetur terra, & detrahetur ex te fortitudo tua, & diripientur ædes tuæ.* Hoc per Aſſyriorum perfecit

4. Reg. 17. exercitum, hiſtoriam referente S. Scriptura. Hoc tum temporis nouimus accidiſſe.

6

V. Iudæos Chriſtus ſibi ipſis ſtatuit ab oculos condemnandos.

Vt autem ad tantam Iudæorum excreuit audacia malitiam, vt ad ſummum peruenerint, quo nõ datur vltra, nempe contra Deum inierint concilium, eum morti adiudicârint, crucique affixerint, & Deus quoq; manum eò protulit iniuriarũ vindicem, quò nec datur vltra. Hoc autem agit, dum illis ipſis in manus proceſſum tradit, in propria iudices eligit cauſa: vt eò iuſtior cunctis liqueat ſententia damnationis. Ad hoc cum rege & propheta eos alloquitur: *Arguam te & ſtatuam contra faciem tuam.* Tuo te ore conuincam, tuam tibi proponam quæſtionem, tuum te creabo iudicem: quis mihi hoc explicet, vt quis ſibi ſtatuatur ob oculos? Quis capiat, qua ratione tuum tibi ob oculos vultum intuearis? Si nempe teipſum in aliquo paululum ab oculis, velut in ſpeculo videas ſeparato. Hoc cum illis Saluator agit: illos ipſos ſibi ſtatuit ob oculos in ſpeculo ſeiuncto, in perſona agricolarum.

Pſ. 49. 21.

Hom. 4. in Ezechiel poſt med.

Audite lubet Doctorem moralem: modum enim docet, quo cognoſcat homo, vtrum id quod agit bonum ſit ne an malum, ſi nimirum illud non à ſe ſed ab altero factum fuiſſe contempletur. Tam nobis ipſis, (inquit ille) ſumus amici, adeoque afficimur, vt quidquid egerimus, bene factum eſſe nobis perſuadeamus, & quæ nos diligimus voluntate, ea noſtrum ducimus intellectum, vt quælibet noſtra eſſe iudicet abſoluta. Quinimo & ipſe docet philoſophus: quod ad rei cuiuſlibet intuitum, neceſſe eſt eam oculis vel parum remouere: quia *Senſibile poſitum ſupra ſenſum, non facit ſenſationem.* Quærit D. Gregor. Nyſſen in quem finem natura cryſtallum produxerit, vt nobis pro ſpeculo deſeruiret? Reſpondet, ſe prudentem in hoc oſtendit, homini que prouidam, quia nihil ita neceſſe eſt viro ſeu mulieri, quàm propriam intueri faciem, vt eam pro vt decet, exornet. Hæc autem cuique noſtrum eſt adeo vicina, vt in ſe conſiderata, nullus eiuſdem aut defectus, aut notet fuliginem quâ dedecoratur, quare ad hoc ſunt ſpecula, in quibus tua procul à te facies exprimatur, & luce clariùs maculæ detegantur extergendæ. Hoc nobis omnibus innatum, tantò eſſe nos ad aliorum notandos defectus perſpicaciores, quantò ad proprios cæciores. Tuos placet ſcire defectus? Ne illos in te conſideres, ſed illos alijs imponito, hoc eſt. *Statuere te contra faciem tuam.*

VI. Aliorum peccata velut in ſpeculo illis indicanda.

Hac arte Deus vti voluit prophetam, quâ Regi Benadab ſuum exponeret delictum, cum regem ſibi à Deo traditum morte plectendum immunẽ ac liberũ dimiſerat. Similiter & hac arte vſa fuit 3. Reg. 20.

mulier Thecuitis cum Dauide colloquens, ob quod dici, meruit ſapientiſſima; ſed & Nathan propheta nouiſſima illâ de oue parabolâ, quâ Dauidi nefandum aperuit adulterium, quod Vriæ homicidio celare conabatur, vt congruè

*Hom 29. de pœnitent.* perpendit D. Baſil. iners animi viuebat Dauid, nec tanti criminis conſcientia ſtimulabatur, quod tamen populus & aduertebat, & de quo ſcandalizatus murmurabat; eius tamen oculis ita vicinum illud adhærebat, vt illud non aduertens impœnitens præteriret. Quid agam, inquit Nathan: ſi rectè ac directè illum arguiturus ingrediar, ipſumque in propria perſona apertè reprehendam, culpam pœnitens non agnoſcet: at pertinax incandeſcet: caſum alteri imponamus.

VII. Crimen tuum cum Dauid in altero attende vt agnoſcas grauitatem.

Intrat igitur vociferans. Rex iuſtitia; ô Rex: Quid poſtulas ô propheta, caſum enarra, & perfecti complebo iudicis officium. Hoc crimen propono, ciuemque vrbis huius reum inſimulo; peregrinus aduenit illi hoſpes, quem dum conuiuio parat excipere lautiori, nec illi boues nec oues deeſſent inſtruendæ cœnæ, illas tamen noluit ad menſæ fercula adhiberi, sed cum vicinum ſuum vna ſolummodo diuitem eſſe ſciret ouiculâ, illam tollit viri delicias, per vim raptam iugulauit, indeque cœnam hoſpiti præparauit opiparam; Nec hæc patraſſe ſuffecit, quin & pauperculo vitam eripuit omnium quos ſol illuminat flagitioſiſſimus; Quo non ſupplicio ô Rex mulctandus fur, latro, homicida?

2. Reg. 12, 6. Itane, tantum audio patratum nefas? *Viuit Dominus*, inquit Dauid: *Quoniam filius mortis eſt vir qui fecit hoc.* q. d. Viuit Dominus, millenas meretur mortes, ſi perferre eas poſſet, tanti criminis reus. O Rex, ne ad illum vlterius tranſieris, ſiſte gradum, in te ipſo conquieſce & quod ab altero commiſſum obſtupuiſti, hoc in te ipſo iudex intuere: *Tu es ille vir.* His continuò Dauid ſuum agnoſcit delictum, exclamat gemebundus, cœlos obteſtatur: *Peccaui Domino.* O quoties in te ipſum ferres iudex ſententiam, ſi quod à te committitur crimen, alteri imponeres.

☞ 7 Quàm præceps es, quàm ſeuerus vt latrunculum ad crucem damnes, qui lepidâ quâdam aſtutiâ alteri duos eripuit aureos, nec oculos in teipſum reflectis, qui tuis palliatis vſuris, omnem pauperi nequior triplo fur hereditatem abſtuliſti. In famulum grauiter commoueris, eo quod receptis à te beneficijs, minus te in aliquo diſcolus offendit, ſed nec aduertis, te ipſum in illo, à te ipſo condemnari, qui tot Deum quotidie ſceleribus impudens prouocas, recepis per ſingula momenta donis multò præclarioribus. Mulieris illius accuſas morum leuitatem, quæ vxor cum ſit nobilis cuiuſdem eminentioris, huic & illi faciem exporrigit quibuſcum & conuerſatur, nec tuam in eis animam poſtulas, quæ cum ſponſa ſit Dei, liberum cunctis ingreſſum permittit, aperitque ianuam ſceleribus; quid loquor? imo & quotquot in eam vim faciunt, dæmonibus, vt de ea illud verum pronuntietur: *Habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi.* Hoc Apoc. habet quod de vobis conqueritur D. Paulus, VIII. quòd ad aliorum defectus inſpiciendos lyncei ſint vobis oculi, quorum vos ipſos iudices ſtatuatis ſtrictiſſimo eodem iure condemnantes, eoſdem tamen in vobis ipſis minimè redarguentes: *In quo enim iudicas alterum, teipſum condemnas: eadem enim agis quæ iudicas*, &c. Rom. *Exiſtimas autem hoc ô homo, qui iudicas eos qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei?* Cum temerè proximum iudicaueris, audi loquentem Nathan: *Tu es ille vir.*

Sic Chriſtus cum Iudæis: mali erant imo peſſimi mortalium, nihilominus, ita ſuis in actionibus ſibi complacebant, vt hoc eſſet cuique eorum de ſe præconium: *Non ſum ſicut cæteri hominum.* Congregerant in concilium, & quaſi rem vero veriorem, ſuæque Reipublicæ maximopere proficuam, crimen conceperant omnium maximè deteſtabile, nefarium proditionis ſcelus, qualè numquam mundus audiuit, aut latro nequiſſimus commiſit, cædem vnigeniti Dei. Hoc eis crimen Chriſtus intendit exponere; non in illis ipſis hoc agit; ſed pauliſum illud ab eorum remouet oculis, in tertiam deuoluit perſonam, agricolas in ſimile crimen vocat, qui receptâ vineâ Domino nedum fructus retulerunt, quinimo cæſis eius famulis inito concilio, prauaque agitati voluntate, in filium manum mittere non verebantur. Patens nimis hæc eſt agricolarum nequitia, quocirca incunctanter contra eos perditionis ferunt, mortiſque ſententiam: *Malos male perdet.* His ſuppoſitis optimè Chriſtus inferre poterat. Vos eſtis agricolæ illi: Illi ipſi, quos condemnatis, vos eſtis: Quantum ſapio, ea de cauſa ſingulariter propoſuit hoc Dominus vt ænigma amico ſuo Iob: *In oculis ſuis quaſi hamo capiet eum.* Iob. Proponere voluit Deus ſuam in operibus & 19. magnitudinem & ſapientiam, inter alia verò hoc quod cum elephante agit, exponit: quem vocat Behemoth id eſt *Beſtias* in plurali: tantæ namque magnitudinis eſt, vt non vna, ſed

grex.

grex quidam beſtiarum eſſe videatur, de quibus alibi. Ego, ſic Deus: *Eum quaſi hamo capiam in oculis ſuis*, ipſo ſpectante. Mos eſt venatoribus ab oculis abſcondere retia pennatorum: quia *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Ego rete eius objiciam oculis, & quaſi hamo capiam eum. Si litteram ſpectemus & verborum corticem, inſulſa videntur: quis enim vidit elephantem, idque hamo vt piſcem expiſcatum fuiſſe? Deinde cur, cum elephanti proprium ſit nomen, non eo illum appellat, vtique notiori; ſed nomen illi imponit Behemoth; id eſt grex beſtiarum. Loquitur ex mea ſententia, quæ eſt & D. Gregorij de diabolo, in corpore ſuo myſtico; nimirum cœtu illo Principum, Pontificum, Sacerdotum, & Doctorum, dum ad concilium pariter conueniunt. En quam bellè nomen ipſis competat *Behemoth*. Id eſt congregatio ferocium cæcarumque beſtiarum. Illi ſuo in conclaui peſſimam omnium concludunt, concipiuntque iniuſtitiam, cædem Chriſti Saluatoris. Quis modus vt eam ſuis ipſi conſpiciant oculis, perpendant grauitatem, iniuſtiſſimas aſſignent ſceleri pœnas; ipſi hamo capiantur, ipſi proprio ſuffragio, nigro calculo condemnentur? Vtitur ad hoc Christus velut quodam hamo, parabolâ agricolarum. Piſcator, vt piſcem extrahat, hamum ex ære componit firmiſſimum, at cum ſit ille ex ſe durus, & aſper, ſi nudum exponat, lædit, pungit; cuius ſolo contactu piſcis ad ima demergitur: quare eſcâ, ſeu vermiculo illinit: quo viſo adnatat piſcis, & hianti gutture morſum deglutit integrum, quo hamo ſuſpenſus, aquis extrahitur comedendus. Veritas hamus eſt æreus, at cruciat, pungit, lancinat, vnde illi vix vlli dentem infigunt. Si Chriſtus illam nudam, apertamque eijciat oculis animalis huius Behemoth conſpiciendam, congregatis in vnum beſtijs illis ferociſſimis Principibus, Sacerdotibus, populi Doctoribus, illam ſine dubio deteſtabuntur, quare cooperit illam parabolâ vinitorum, quorum ſcelus eorum adeo clarè patet oculis, vt illud ipſi deteſtentur, arguant, extremiſque iudicent ſupplicijs plus æquo digniſſimum. In hoc igitur, quod veſtris vos oculis intuemini, illo veluti hamo vos captos ſuſpendo; vos enim hi eſtis agricolæ, vos concilium coëgiſtis, vos ſeruos Dei prophetas occidiſtis, vos me eius filium interimere ſatagitis; In eum igitur finem hæc illis à Chriſto parabola prædicatur.

Tract. 7. §6. n. 22.

Pro. 1. 17.

IX. Iudæi veluti piſces hamo capiuntur.

*§. 3. Velut vrſi, qui rationis parabolæ vi concluſi ac conuicti, contra ſeipſos tulerunt ſententiam, in Chriſtum inſurrexerunt, eius necem machinati.*

IN anguſtias illos compulit dicta parabola, ita vt inaduertenter in ſeipſos iudices facti, tulerint ſententiam. Quando illis Redemptor ad oculum oſtendit, implendum eſſe Dauidis vaticinium, illos malè perdendos, ſe verò exaltandum & gloria coronandum, velut petram poſitam angularem: *Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.* Furore flammeo igneſcentes, datam à ſe ſententiam exequi conabantur, at veriti populi multitudinem manus ab opere retraxerunt. Illos graphicè deſcribit Iſaias, velut vrſos in iram concitatos: *Rugiemus quaſi vrſi omnes nos:* nullum enim animal adeo rationis inops, furijſque ſuis irritatum ac vrſus in eum à quo fortius conſtringitur, luctam ambit, at ea conditione, vt qui cum eo luctatur, non nimium illum conſtringat: ſi quippe ſe ſentiat conſtrictum, & proximum ad caſum, totis ipſe viribus ſtringit, diſtringitque conſtringentem, hunc inferius conceptum proſequemur. Hoc Iudæis legimus eueniſſe.

Pſ. 117. 22.

Iſa. 59. 11.

I. Iudæi vrſis comparantur.

Opinatur autem Rupertus apud Lyran. hoc nobis à Spiritu S. in hiſtoria Ioſeph præfiguratum; qui cum multis titulis eſſet à fratribus diligendus, eundem ipſi in malam crucem deteſtantur. Pluribus in eum rationibus agitati commouentur. Prima: quòd eos apud patrem criminis peſſimi reos poſtularet, quod tamen ſcriptura ſubticuit; Eos primum fraternè corripuit (ita D. Thom.) verum dum nullam ex fraterna videt correptione ſubſequi vitæ correctionem, recurrit ad patrem, palam confundit, crimen defert emendandum: *Eo quod accuſaſſet fratres apud patrem crimine peſſimo.* Secunda: Quòd cum Iacob omnes filios diligeret, primas tamen in amore partes ſibi Ioſeph vendicaret, & præ ſeteris ſingularem in eum beneuolentiam, pater omnibus officiorum ſtudijs illuſtraret, cunctaque ab illo peracta ſibi grata demonſtraret: *Eo quod vidiſſent, quod à patre plus cunctis filius amaretur.* Tertia: quòd faciei, corporiſque in eo viderent inuiderentque venuſtatem; maximè verò in veſte illa polymita, quæ cunctis erat rutila partibus, qua indutus omnium in ſe mentes oculoſq; conuertebat. Vltima vero: & quaſi cæterarum rationum confirmatiuum ſigillum, (a) erat propoſi-

2. 2. q. 33. a. 3. ad 3.

Gen. 37. 2.

II. Plures adferuntur rationes inuidiæ fratrum in Ioſeph.

(a) Echo el ſilb. Geneſ. 37. 9.

tum fratribus, à ſe viſum ſomnium: ſic enim ait: *Putabam nos ligare manipulos in agro & quaſi conſurgere manipulum meum, & ſtare, veſtroſque manipulos circumſtantes adorare manipulum meũ. Vidi per ſomnium, quaſi ſolem & lunam, & ſtellas vndecim adorare me.* Quibus ſibi quaſi regnum ſupremamque præſagiebat dignitatem, & ab ipſis ſe fratribus adorandum: quæ licet ſomnia eſſent, ea tamen ipſi non vanis auribus excipiebant: hoc autem fratrum diſſecuit concordiam, odij fomitem miniſtrauit, & ad ſummum extulit faſtigium vt ei ſcilicet vitam auferrent proditores; quocirca dum eum conſpiciunt aduentantem, vt primum de longè fratrem cognoſcunt: exclamarunt: *Ecce ſomniator venit.* Hebræus textus habet: *Ecce Dominus ſomniorum*, fictor ſomniorum, ea de cauſa eum occidere, fraternumque ſanguinem fundere determinarunt, & tunica nudatum prolymita in ciſternam veterem ſiccamque demiſerunt.

*Hierem. cap. 2. 5.*

III. Eædem Iudæos in Chriſtum excitant.

O Chriſte Sanctiſſime, Ioſepho formoſior, quo te vatinango ſunt odio illi proſecuti, quos ſcriptura fratres tuos nominat, quique reuera ſecundum carnem fratres erant Saluatoris: *Patres tui elongauerunt à te.* Potiori iure de illis fratribus Ioſeph dicendum: *Oderant eum fratres eius, nec poterant ei quidquam pacificè loqui*; non obſcuro apud fratres odio laborabat, & perpetes cum eo gerebant ſimultates, & ſi quando pacis inter ſe fœdera ſancirent; pax, pax & non erat pax, niſi ficta, niſi verbalis, niſi exterior, vt eo prætextu tanto ſecuriùs illum & caperent, captumque enecarent. Fratrem exhorrebant. Primò: quòd eorum non ſimulans, non conniuens ſcelera, corriperet proditiones, ſacrilegia, hypocriſes, latrocinia religione palliata non taceret. Secundo: quòd Patris æterni in eum notarent affectum omnino ſingularem, non vulgaribus amoris, diuini ſignis confirmatum, cuius nomine ſigna & prodigia naturæ vires ſuperantia edebat, quæ illi ipſi in vnum congregati & inter ſe colloquentes vera fatebantur: *Chriſtus cum venerit numquid plura ſigna faciet, quam quæ hic facit.* Hoc mouet Nicodemum virum ſyncera mente commendabilem, vt manus illi daret, illum accederet, cui & ait: *Rabbi: ſcimus quia à Deo veniſti Magiſter, nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo.* Ob hoc eum execrabantur, & alia quidem vice quod eum mirabilia patrantem teſtes conſpicerent, de quibus Euangeliſta D. Matthæus & Marcus ſcribunt, quòd populo in eum præ deuotione irruente, ſigniſque applaudentes, multo furore phrenetici, velut protriti pedibus ſerpentes, Scribæ & Phariſæi: *Conſilium inierunt vt eum perderent.* Quando miraculum illud caput & omnium primicerium intellexerunt Lazari reſurrectionem, quo ſe filium Patri verbis oſtendebat dilectiſſimum, quæ ad eius miraculi patrationem proferebat, magna licet populi turba in eum crederet, in tantum apud eos incidit odium, vt pleno conſeſſu conſedentes faterentur, hanc vnicam odij eſſe cauſam, quòd eum tanto à Patre æterno honore doniſque ferre non poſſent eſſe ſublimatum: *Quid facimus: quia hic homo multa ſigna facit.* Tertiò: quotidianus formæ eius elegantioris intuitus, veſtis præſertim vitæ eius immaculatæ, & ab omni labe, quaquauerſum illam conſiderarent, immunis; Doctrinam ad trutinam examinant, & diuinam inueniunt, quam admirentur: *Mirabantur Iudæi.* Nunc verba perſcrutantur, cum illi cenſerent impoſſibile, ita in omnibus, verbis eſſe moderatum, vt quod reprehenderent, non haberent, vnde conueniunt: *Vt caperent eum in ſermone.* Alias manibus eius inſidiantur, dum ei paralyticum offerunt ſolidandum: *Et ipſi obſeruabant eum.* ſed ſemper præuertit iactum anchoræ Deus. Tandem aduertunt quòd ipſe Chriſtus hanc illis tunicam ſemper retexeret, conatuſque eluderet, ipſoſque teſtes requirat, ipſi dicant, ſi quam in illa inuenerint tunica maculam: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Erat autem adeo publica, & per omnia hæc eius innocens pulchritudo, vt nec verbulum in ea iure poſſent meritoque reprehendere. Porro illud pectoris eorum fornacem furenti magis inuidia ſuccendebat, odiumque irreconciliabile concitabat, quòd frequentes illis has proponeret parabolas à D. Matthæo relatas, præſertim autem hodiernam, quæ quaſi ſomnia ſunt Ioſeph, quibus Iudæis manifeſtè declarat, & ipſos perdendos iri, ciuitatem incendio conflagrandam, euertendam, ſe verò glorificandum, exaltandum, vt lapidem angularem, hoc de eo Dauid præcinente: *Lapidem, quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli.*

*Ioann. cap. 7. 31.*

*Ioan. 3. 2.*

Optimè correſpondent (inquit Rupertus) dantque manus ſomnia Ioſeph fratribus expoſita, Chriſti parabolis ad Iudæos: ſicut enim in illis ſomnijs dicendo vnum, aliud per illud intelligebatur, per erectos ſtanteſque manipulos, fratres regnum auſpicabantur, ac per ſolem, lunam & ſtellas vndecim, patrem, matrem, fratreſque capiebant, ita in ipſis Chriſti parabolis: *Etenim ſicut in ſomnio, ſic & in parabola,*

dum

*dum aliud dicitur*, *aliud intelligitur*; Et quemadmodum Ioſeph ſomnijs fratribus ſe tandem prædicebat exaltandum, ipſos autem pedibus ſuis proſternendos, vt ſeruos domino ſuo: *Sic & Dominus noſter excellentiam ſui innuit ad finem parabolæ, dicendo, Numquam legiſtis in ſcripturis: quia lapidē quem reprobauerunt ædificantes, hic factus eſt in caput anguli, à Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Et quemadmodū illi conjicientes, quid ſibi vellet ſomnium amplius inuidentes dixerunt, Nunquid rex noſter eris aut ſubijciemur ditioni tuæ, ſic iſti intelligentes intentionem parabolarum, amplius zelati, & quærentes eum tenere, inquit Euangeliſta, timuerunt turbas, quia ſicut prophetam eum habebant.*

V. Prædicantem licet ſeuerius nolle audire, ſignum, eſt reprobationis.

En apertiſſimum reprobationis ſignum, quod tibi ſimiliter applica, cum illis nequitia par fueris, ſi prædicatoris rationibus conſtrictus, quibus tuam tibi ob oculos iuſtam ſtatuit perditionem, parum eſt te vitæ mores non corrigere, ſacrilega non mutare propoſita, in teipſum non conuerti, non ſpondere meliora, & vicinióra ſaluti: inſuper & in ipſum excandeſcis, cane peius & angue eum exhorreſcis, quaſi in eo quod tibi aut dicit aut agit, animum haberet inimicum; vt alter impius Achab, qui ſibi cenſebat infenſum hoſtemque maximum Michæam prophetam, eo quid interitum ſibi cladémque prædiceret, vnde & regi Ioſaphat ait: *Ego odi eum quia non prophetat mihi bonum, ſed malum.*

3. Reg. 22.8.

Quid igitur tibi vis prædicet, nequiſſime, quid concionetur, cum viam incedas perditionis, continuis contra Deum ſacrilegis pugnes actionibus, idololatriæ crimine infamis, vineæ raptor alienæ, iuſtiſſimi viri bonorum prædo, falſis ſuffultus teſtibus, ſanguinis Naboth fuſor innocentiſſimi: Quod horum ſcelerum vates regi contra faciem ſuam ſtatueret & multitudinem & grauitatem, moleſtiſſimè rex tulit, odio commouetur, prophetam exhorreſcit: *Ego odi eum.*

L. 22. de Ciuit.

VI. Rabidus aquam offerenti indignatur.

Catalogum recenſens D. Auguſtin. omnium miſeriarum, calamitatum, infirmitatum, laborumque, quæ grauia cuncta patimur ex primi parentis noſtri peccato emanantia, de induſtria perpendit rabiem, morbum carentem omni remedio, ſi inueteraſcat, rationem alibi aſſignauimus; cuius cum vnicum ſit remediū aquæ frigidæ potus, eſt enim inſtar ignis qui viſcera cordiſque fibras exurit, nihil illa magis refugit rabioſus; in tantum, vt illum velut ſibi hoſtem infenſiorem abominetur, qui puriorem potum offert, aquamque ſitienti, proprius licet ei ſit pater, aut frater vterinus, in quem frendet dentibus, totamque conuertit furoris rabiem; ſignum autem morbi huius inueterati, datur, aquam exhorreſcere cuius potus in morbi præſcribitur remedium & offerentem abominari. O deplorandam hominis calamitatem, & hæc tua quoque perhibetur. Momordit te canis infernalis in tuam rabidus perniciem: *Tanquam leo rugiens, circuit quærens, quem deuoret.* Quàm te vehementer opum vrit, pungitque cupiditas, quæ nullam tibi concedit requiem, omnem ingerit anxietatem, vt eleganter notarunt D. Baſil. & D. Ambroſ. in illo diuite, qui anxia ſollicitudine peruigil noctes ducebat inſomnes, cuius anxias voceſque querulas audimus: *Quid faciam? deſtruam horrea mea, & maiora faciam.* Te quoque, mollis pepo, quàm ardenter incendit laſciuiæ rabies, mille zelis, æmulationibus, ſuſpicionibus de altera conflagrantem, bonis tuis deperditis, ſanitate conſumpta, morbis contractis, adductâ in ſummum diſcrimen dignitate. Quid de vanæ gloriæ cupido, quàm agit inquietus, quàm ex inopinatò contremiſcit, corde tremulus, quàm ſuæ dubius prætenſionis? hoccine ad votum ſuccedet? num ille mihi futurus obſtaculo? num hoc curſum impediet negotiorum? His remedium præſcribitur, aqua doctrinæ limpidiſſima, quam tibi propinat prædicator, in eo quod tibi declaret, contractus illos, quibus tibi diuitias coaceruas, ad tartarum ducere, & quot paſſus ad domum promoues impudicæ, tot ad tuam te properare perditionem. Attende qualis ſis, quàm ritè paratus, quàm libenti gratoque poculum hoc ſuſcipias animo? Dum acriter commoueris, ſtrides dentibus, faciem auertis, irritaris, & aſſeris non tolerandum, tuam tibi tam nudè prædici ruinam, te à prædicatore ad perpetuos damnari cruciatus, iram cœleſtem illum tibi comminari, & apertas gehennæ fauces, morbus eſt inueteratus, de te actum, eſſe iudica. Sumito in Herode exemplum, qui tanta vi ac furore limpidiſſimam illam aquam reſpuebat, quam illi Baptiſta prædicator ſalutis ipſius auidiſſimus offerebat hauriendam tantoque animo propinanti obſtrepebat, vt eum de medio tollere non vereretur. Infelices illos contemplare Phariſæos, quos eadem de cauſa Redemptor noſter vt omni ſuæ ſalutis priuatos his verbis prænuntiat eſſe perituros: *Auferetur à vobis regnum Dei.*

1. Pet. 5. 8.

Luc. 12. 18.

VII. Rabies peſſimæ bene conſulentem dedignari.

## §. 4. Homo erat. *Plantauit Deus vineam, quam fructum amarum daturam ſciebat: quia Pater eſt.*

a *Quæſ.* 45.
b *Lib.* 4. *contra Marcio* *cap.* 70.
c D. Am. *Lib.* 9. *in* *c.* 20. *Luc.* *Tom.* 4.
*Iſai. c.* 5. 7.

LIcet autem Sancti Eccleſiæ Doctores diuerſis hanc vineæ parabolam applicent; D. Athanaſ. *a.* mundum interpretatur, D. Irenæus. *b.* naturam capit humanam: alij hominis dicunt animam: at indubitata eſt illa D. Ambroſij. *c.* ſolutio; proprie ſignificare Dei Eccleſiam, cuius palmites erant fideles, in Eccleſiæ vinea plantati per veram fidem, & vnius Dei cultum: & res ei eſſe videtur manifeſta, quandoquidem idem Dominus hoc ita declarauerit, quando propoſita parabola de ſimili vinea per Iſaiam ipſe ſeipſum exponit dicens. *Vinea Domini exercituum, domus Iſraël eſt. Plerique varias ſignificationes de vinea appellatione deriuant, ſed euidenter Iſaias vineam Domini Sabbaoth., domum Iſrael eſſe memorauit: vinea Domini exercituum, domus Iſraël eſt.* Hanc autem plantauit vineam, quando primos illos palmites terra Ægyptiorum extractos, legem illis cœleſtem præſcribens in terra locauit promiſſionis. Qui vineam intendit, palmites ſumit qui placent; in falces collectos paludi immergit, vbi radices figunt, vnde & nomen ſortiuntur, vt palmites barbati dicantur (a) Quando iam radices produxerunt, eos extrahit, ex quibus in montibus vel vbilibet locorum voluerit plantat ſibi vineam. Mens illa Dei fuit vineam plantare, veterem ſcilicet ſynagogam, ſeptuaginta illos collegit palmites, quos Moyſes refert ex vite Abraham reſciſſos, & in duodecim faſciculos ſeu familias redactos, poſuit in Ægypto, velut in loco paludoſo aquarum (ſymbolum hic nota tribulationum) in quibus profundas egerunt radices, & in magnam excreuerunt multitudinem: *Filij Iſraël creuerunt, & quaſi germinantes multiplicati ſunt ac roborati nimis:* in tantum vt ex illis ſeptuaginta animabus numerus excreuerit ſexcentorum millium. Tum verò ſarmenta barbata, & multorum filiorum radicibus fœcunda, extrahens in terra plantauit promiſſionis. Audi concinentem Dauid: *Vineam de Ægypto tranſtuliſti, eieciſti gentes, & plantaſti eam.* Audi & Deum per Iſaiam, quod illam plantauerit: *In cornu filio olei.* id eſt in monte, hoc enim ſignificat *In cornu*, fœcundo & frugifero, hoc enim indicat: *Filio olei:* erat quippe terra promiſſionis montuoſa, & fertiliſſima, vt crebro textus ſacer indigitat. Ac diuina quadam ſapientia notat Dominus cauſam, ob quam vineam in hoc mundo plantauerit.

(a) *Sarmentos barbados.*
I. Iudæorũ vt vineæ propago.
*Exod. c.* 1. 9.
*Pſ.* 79. 9.
*Iſai.* 5. 1.

Diſputant SS. Patres, ac admirantur, in quem finem hanc Deus vineam plantauerit, præſciens, non ſuauiſſimos illam fructus producturam, ſed ſpinas ac tribulos mordaces, ex quibus illi corona texeretur, vuas immaturas palato inſipidas, linguam amaricantes. Domine vt quid eam plantaſti? Nemo ſanus vineam plantat, niſi vt ex ea fructus referat, tam ſuaues, tam multiplices, vt ea de cauſa illam Dominus vocet: *Vineam amantiſſimam.* Quinimo & hoc Deus indicabat, quod qui illam plantat, tanto ſperet vindemiam deſiderio, vt præceptum dederit, quicumque plantaſſet vineam, & eiuſdem fructus vuaſque non comederit, ad bellum non procederet: quaſi qui ſupponit, talem rem bellicam fortiter ac ſtrenue non tracturum cum ſemper eius cogitationes circa vineam futuræ ſint, qualem nempe fructum ſit productura; & vt maledictionem grauiſſimam infligit: *Vineam plantabis, & fodies, & vinum non bibes.* Domine, aut noueras vineæ ſterilitatem aut non. Dicere te hoc ignoraſſe ſapientiæ tuæ repugnat infinitæ, cui cuncta futura, præſentia ſunt. Si igitur illud præſciens, ad quid eam plantaſti? Mox audimus à quo eam tempore in Abraham, eiuſque poſteris plantaſti, non niſi grauiſſimas de ea querelas iam ſtatim in ſui principio fructus tibi retulit amaros adeo ac peſtiferos, vt de ijs audiam Moyſen querentem: *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ. Vua eorum vua fellis, & botri amariſſimi, fel draconum vinum eorum,* &c. Tempore deinde Iſaiæ præcipis planctum ac lamentationes ſuper hanc vineam, tuamque contra illam indignationem decantari; quod eam deinceps deſerens non coleres, non rigares, non foderes, ſepem deſtrueres, illam animalia depaſcerent: quia dum omni eam labore ſtudioque coluiſti, ita vt nihil amplius requireretur, non vuas ſed labruſcas protulit amariſſimas: *Expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas. Et nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ,* &c. *Non putabitur, & non fodietur,* &c. *& nubibus mandabo ne pluant ſuper eam imbrem* &c. *Diruam maceriam eius, & erit in conculcationem.* Demum in diebus Ezechielis tanto contra eam furore te monſtraſti concitatum, vt eam minareris te eruturum. Primum ait: *In terram bonam, ſuper aquas multas plantata eſt vt faciat frondes, & portet fructum, vt ſit in vineam grandem.* vt autem videt eam ſylueſcentem, ait mandatum fuiſſe vt eam

Deut. 28. 39.
Deut. 32.
Ezech. 8.

cum

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ezech.19. 12. cum indignatione euellerent: *Et euulſa eſt in ira in terramque proiecta.* Vltimò: hos protulit infœcunda botros, vincula quibus tibi ſtrinxerunt manus, flagra, quibus carnem tibi ceciderunt, ſpinas, quibus tibi verticem coronarunt, crucem, cui te affixerunt, fel & acetum, quo te ſitientem potauerunt; In quem igitur finem tu eam Domine plantaſti?

IV. Cur futurũ ſceleſtum creãuit.

11. Hanc eandem mouent SS. Patres quæſtionem, cur Deus creauerit hominẽ, & in amœniſſimo ſtatuerit paradiſo, cum præſciret eius in eo caſum grauiſſimum, & non tolerandam inobedientiam; mille calamitatum iugo, mortiſque ſententiâ condemnandum. Eodem ſenſu hanc D. Chryſoſtom. *a.* D. Auguſtin. *b.* D. Ambroſ. *c.* obiecerunt difficultatem, cur Chriſtus ſibi in Apoſtolum elegerit Iudam quem prænoſcebat ex eo ſumpturum occaſionem vendendi tradendique Saluatorem: *Sciebat enim quis eum eſſet traditurus.* ait D. Ioannes. Ad quid hoc? *Si ſciebat Saluator, quod Iudas eum proditurus eſſet, cur illum elegit? Si ſciebat Adam comeſturum de ligno, cur illum in paradiſo collocauit?* quærit D. Chryſoſtom, Quis ſapiens hoc ageret? Optimè quæſtioni reſpondet idem Chryſoſtom. *Eos præſciens formauit, vincente præſcientiam bonitate.*

a D. Chr. Ser. 1. de ieiun. To. 5. b Lib. 18. de ciuit. c. 49. c In c. 6. Luca. Ioan. 6. 4.

V. Ratio eſt: quia pater erat.

Quod exponit auctor modernus Petrus de Ledeſma multò luculentiùs ipſe Chriſtus dum ait vineam plantatam ab homine, qui pater eſſet familias: *Homo erat paterfamilias*; quo diuinam erga nos teſtatur bonitatem amoremque patris, patris inquam, cui nullus comparandus, quod paucis verbis eleganter expreſſit Tertullian. *Tam pater nemo, tam pius nemo*; Patris viſcera, tantis ei conueniunt prærogatiuis, vt omnia patrum mundanorum viſcera vel leue ſint veſtigium, ac litura ex illa patris deſcendens eſſentia, quâ Deus eſt: *Ex quo omnis paternitas in terra nominatur.* Qua ratione nobis iniungit: *Patrem nolite vocare vobis ſuper terram, vnus eſt enim Pater veſter, qui eſt in cœlis.* Quo ſignificat, quòd reſpectu Patris illius cœleſtis nullus in terra pater vocari mereatur. Proinde tantus eſt in eo paternus amor ac bonitas, vt omnium quos terra tulit, in vnum coniuncti, nequidem amoris illius patris cœleſtis, quo nos diligit, vmbra vocari aut eſſe mereantur: *Tam pater nemo, tam pius nemo.*

Ho. de Adam & Eua cruciſixoribus Chriſti. De auxi. Diu. grat. fol. 516. TERTVLL. Lib. de pœnit. ad finem. Ephes. 3. 15. Matt. 23. 9

VI. Affectus Agrippæ matris pro Nerone filio.

Summis efferunt præconijs hiſtoriographi gentiles vt rem monſtruoſam Agrippinæ Imperatricis filiæ Germanici, matris Neronis, amorem ardentiſſimum; dum de creando filio ſuo Imperatore negotium ageretur, ad cuius promotionem veneno è medio ſuſtulerat Claudium ſecundum ſuum coniugem, cùm ei aruſpices prædixiſſent, quod ſi ad Romanum filius eueheretur Imperium: mater vita lueret, ipſe quippe illam impius interimeret matricida: vultu animoque reſpondit alacri ac generoſo: *Occidat, dum regnet.* O matris in filium amorem omnino ſingularem, quæ, vt imperij filius habenas moderaretur, tanta necem ſuſcepit etiam à filio inferendam voluptate: Veruntamen: *Tam pater nemo, tam pius nemo*: ad eam Patris ſuperni dilectionem, qua nos dilexit ſcimus adſpirare poſſe neminem: ille namque vineam plantauit, quam prænouerat, pro fructibus, vuiſque ſuauiſſimis, amaram illi mortem illaturam; quia per hanc filij ſui ad regni cœleſtis euehe rentur imperium; prædeſtinatos intelligo, in diuini ſui intellectus vtero ante omnia ſæcula conceptos de quibus ſic Apoſtolus: *Quos præſciuit & prædeſtinauit.* Moriar ego in terra eorum manibus quos plantaui, & elegi mihi in populum, modò ſaluetur, modò regnet homo in cœlo glorioſus. Congruè nobis adduco Deum ipſum ex ore Iſaiæ loquentem: *Audite me &c. qui portamini à meo vtero, qui geſtamini à mea vulua, &c. Ego feci, & ego feram, ego portabo, & ſaluabo.* Poterat vtique Deus ſic cuncta diſponere, vt cœleſtis ſua daretur gloria prædeſtinatis, nullo tamen medio ſuo labore, nec vllâ moleſtiâ ob negatum ſibi à vinea fructum: at voluit ſuus omnibus amor eſſet in confeſſo, quo pro hominibus mortem oppetere dignatus eſt eorumque cadere manibus, quos mens erat ſaluare, regeſque illis ipſa morte, quam ei inferebant, coronare. Longo cedit huic amori interuallo, Dauidis ille in rebellem filium Abſalon amor multorum ore celeberrimus, quo mori pro filio, vt ille viuus ſanuſque ſupereſſet tot repetitis vocibus, ac ſingultibus poſſe cupiebat: *Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te.*

Rom. 8. 29. Iſai. 46. 5. 2. Reg. 18. 33.

### §. 5. [Plantauit vineam. *Dicitur palmes eſſe Chriſtianus, qui niſi fructum ferat, ſoli conuenit igni.*]

I. Cur Chriſtus nos dixerit palmites.

12. PLurimæ congeruntur rationes, ob quas diuinâ quâdam ſapientiâ Dominus Eccleſiam ſuam ſub ſymbolo vineæ, fideles autem quos in ea poſuit, ſub palmitum ſymbolo ſignificarit. Prima: eſt namque palmes in ferendis palmites,

dis fructibus vberrimus, ſi talis ſit qualem eſſe conuenit, nulla verò planta hâc inutilior, ſi fructibus ſit infœcunda. Proprium eſt palmiti fructuoſo, quòd totus ſit vtilis Domino; nihil in eo reijciendum. In Vere primùm germinat pampinos qui prouocant appetitum;

Ratio 1. Quia nihil palmite fructuoſius. anni primitias, quare etiam ſunt gratiores: ilico producit florem odoris ſuauiſſimi, vnde & cœleſtis illa ſponſa, diuinum ſuum alliciebat ſponſum, egrederetur cum illa, & vinearum odore gratiſſimo ſimul recrearentur: *Veni*

Cant. 7. 12. *dilecte mi, egrediamur in agrum &c. videamus ſi floruit vinea*; Quinimo & altera vice ſponſus ſponſam exhortatur, ad vinearum odorem captandum ſaluberrimum: *Surge propera a-*

Cant. 2. 13. *mica mea &c. vineæ florentes dederunt odorem ſuum.* Talis autem eſt hic odor, qui confortet cerebrum, quo oculorum acies & acuitur & delectatur, præcipuè verò fugat ſerpentes, & inſecta venenata. Poſt hæc en tibi propinat omphacium, tot modis proficuum, & primo anni tempore iucundum, vt illo tanquam ſapori vtaris condimento. Continuò adſunt vuæ, quarum aliquas in præſenti comedis, alias in hyemem reſeruas; ex alijs vinum exprimis, liquorem amantiſſimum, vt de eo dicere licuerit:

Iudic. 9. 13. *Lætificat Deum & homines.* Quando hoc aceſcit, in acetum mutatur, quod ſæpius vino anteponitur quod nobis ſummo ſit emolumento. Expreſſis iam botris ſuperſunt grana & vinacia columbis tuis accommoda, & quod tibi remanet fimandis campis terræque congruè calefaciendæ. His omnibus collectis, & palmitibus vindemiatis, remanent racemi, ſapore pergrati, ex quorum folijs armēta ſua nutris, ſic vt ne vnum quidem pereat illæſum. Tandem tot ab eo acceptis commodis, ſarmēta tibi relinquit, hyemis tempore igni exſiccando, qui ex eis ad manum, celeriter, & dicto gratiſſimo congeritur. His omnibus ſuperaddo, eorum cineres lixiuio, alijſque vſibus accommodos. Attamen nulla Domino ſuo inutilior planta: ſi fructibus careat: nec enim vtilis eſt vt ex ea tabulæ ſerrâ ſecentur, vt pinus, nec vt haſtæ exacuantur, velut ex fago: nec domus ædificandæ fiant laquearia, nec baculus, cui itinerans innitaris.

Ezec. 15. 2. Ex his deducuntur rationes illæ notiſſimæ,

II. Sicut nihil inutilius palmite ſterili. quas Dominus Ezechieli propoſuit. *Quid fiet de ligno vitis.* Agedum propheta, ſi palmes fructibus ſterileſcat, cui rei vtilis cenſebitur, quid ex illo confingam? num oſtia? num feneſtras? num nauium malos? num ambulacris tabulas? nihil horum; ſoli conuenit igni. Palmes eſt Chriſtianus, quando talis eſt, qualem eſſe decet, ſi fructus profert, ad quos & plantatur & colitur, omnia eius Deo ſũt gratiſſima: *Vas vtile Domino*, omnia Deo ſapiunt, eius cogitationes, eius verba, eius opera, eius greſſus, eius curæ, eius vita, eius mors, eius cibus, eius potus: *Siue manducatis, ſiue bibitis, ſiue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Siue iuſtus viuat ſiue moriatur, omnia in Dei gloriam laudemque referuntur: *Siue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus.* Dormiat, aut vigilet, comedat aut ieiunet, in omnibus Deo ſeruit, cunctaque ad eius refert obſequium: *Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum.* Quis vidit cœleſtem ſponſum tanto ſponſæ flagrare deſiderio, vt ipſa tota, & quidquid in illa venit conſiderandum, illi ſapiat; & ſibi complacens illam conſideret membratim: cuique ſuum membro corporis aſſignans elogium, itaque in illa ſibi complacuit, ac tantæ formæ captus eſt elegantiâ, vt ipſe fateatur vel minimum eiuſdem capillum, pro cor eius vulnere lancinaſſe: *Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa &c. in vno crine colli tui*, q.d. nedum Deo ſummopere placere præclariora virtutum opera, martyrium, protracta ieiunia, corporis flagellationes, extaticas orationes, excellentiſſimæ charitatis exercitia, quinimo Deo maximopere ſapere, vel vnicam aut leuiſſimam piam iuſtorum cogitationem, gemitum, orationem eiaculatoriam, quæ tuo iudicio, crini comparatur leuiſſimo, quem in diuerſa rapit Æolus. Quinimo dum ipſis indicat diſcipulis, quanti ſint hæc apud Deum ita fatur: *Sed & capilli capitis veſtri omnes numerati ſunt.* Quam Deo (quis dicat) gratum vnicum quod illis offers boni deſiderium? vnum: *Miſerere mei Deus quoniam infirmus ſum.* Vnum: *Ad te leuaui animam meam, Deus meus in te confido, non erubeſcam.* Vnum: *Quis mihi tribuat, vt moriar pro te?* Vnum: *Pater peccaui.* Vnum *Deus propitius eſto mihi peccatori.* Verum enim vero, nihil, minus Deo ſapidum, homine Chriſtiano, infœcundo: *Quid fiet de ligno vitis?* Ad quid Deus tuâ indiget operâ? quid de te faciet? quid illi in te placebit? Num à te exiget, vt ædes ſuas cuſtodias? vt eius promoueas lites? vt eius arua diffindas aratro? vt eius cauſam aduocatus tuearis? eius augeas ærarium? mandata eius ac litteras expedias? Ad nihil horum vales, niſi vt in ignem conijciaris ſempiternum exurendus. Proinde conſultum foret, diebus ſingulis, teipſum in tribunali citares, & à teipſo rationem

cionem exigeres ea facta interrogatione, quam Dominus olim Iſaiæ præcepit, vt æditu templi Sobnæ proponeret, cui nihil minus curæ erat, quàm ſuum exequi diligens officium: *Quid tu hic, aut quaſi quis hic?* (Iſai. 22. 15) Adeſto num tui aliquando muneris recordaris, num in mentem venit, in quem hic te finem ſtatuerint? Num ea fortè intentione hoc tibi munus impoſuerunt vt agas quod agis: nimirum, vt comedas, bibas, totaque die pompaticus obambules, tuis tantum intentus, ſedulusque delicijs? Vt hæc ageres, tibi foris erat remanendum. Ignoras hoc te ſuſcepiſſe munus, vt ea quæ templi ſunt ſedulus exequaris? quid te premit? quomodo tuo ſatisfacis officio? ſcito igitur, quòd *Expellam te inde &c.* Chriſtiane, in quem te cogitas finem ad Dei Eccleſiam eſſe conuocatum? *Quid tu hic, aut quaſi quis hic?* Tibine perſuades, hanc eam eſſe Domini mentem vt comedas, vt bibas, vt epuleris & ea quæ tibi ſapiunt omni ſtudio promoueas, totus inhians vanitatibus carniſque voluptatibus? Ad hæc tui Deus non indiguit; manere vtique poteras in infidelitatis errore reprobandus. In vineam te miſerunt, vt botros referres Deo ſapidiſſimos, orationem, Sacramentorum frequentiam, opera miſericordiæ, pœnitentiam, ieiunia, cœli flagrantiſſima deſideria. Si ſimilibus fertilis Deo non occurras, lata eſt contra te ſententia: *Ecce igni datum eſt in eſcam.* (Ezech. 15. 4.)

### §. 6. *Ferre tenetur fructum Chriſtianus, cum velut palmes putetur, & colatur.*

(☞ 15 *Ratio 2.* I. Palmes fructum non fert niſi putatus.)

SEcunda ſit illa ratio: etenim palmes inter alias plantas ſingulari præcellit conditione, quòd fructum non adferat, niſi male exceptus, putatus, reſciſſus, ramis ſuis orbatus: aliæ porro plantæ, vt fructum adferant plurimum, excoluntur, firmantur, curantur ita, vt ipſis nec vnicum folium auferatur. Quæ non cura adhibetur perſico, malo punico, citro, amygdalo, cydoniæ, pruno, ceraſo: ſtercoras irrigas ſepem circũdas, vt ne quidem tãgantur manu viatoris, nec minimus eos ramuſculus amputetur, hoc enim eſſet, eis fructus demere fœcundiores: vt autem fructus palmes adferat vberiores, quàm non ei videris ſeuerus? Accedit vinitor, & libera manu totam præſcindit, putat vt ne minimum ei permittat ſarmentum, en tibi miſer palmes, contractus, corrugatus, in lacrymas effuſus, vt exſiccatum mortuumque dixeris. O Domine, (reſpondet agricola) nihil illi magis competit, vt fructum adferat, & quò contractior & corrugatior; eò ad ferẽdos fructus fit aptior. Teipſum hic ô Chriſtiane cogita delineatum: palmes es vineæ Dei ſanctiſſimæ, Eccleſiæ ſuæ. Hoccine credis, tales te fructus prolaturum, quales expoſcit Deus comedendo, bibendo, delicijs indulgendo cutem tuam baſilicè nutriendo, veſtibus mollioribus, quaſi inter goſſypium luxurioſum. Hoc agendi modo, fructus, quidem adferes non Deo ſed dæmonio gratiſſimos; de quibus ſic Apoſtolus: *Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt: fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria &c.* (Gal. 5. 19.) (II. Chriſtianus fructum nõ fert niſi in tribulationibus.) Vt autem Deo fructus proferas ſapidiſſimos, neceſſe eſt, carnem tuam duriùs excipias, mortifices ieiunijs, extenues flagellis, affligas caſtigationibus, capillamentum reſcindas, ſenſus tuos comprimas, viſum contrahas, linguam coërceas. En quam neruosè deſcribat Apoſtolus optimam palmitum conditionẽ. *Gloriamur in tribulationibus ſcientes quod tribulatio patientiam operatur &c. probatio vero ſpem.* (Rom. 5. 3.) Gloriamur, delectamur, ſubſilimus præ gaudio in perſecutionibus, in fame, in ſiti, in vigilijs, ſcientes ex his fructum patientiæ vberrimum oriturum.

Aſſerit Chriſtus prima veritas præcipuos fructus prouenire in patientia: *Fructum adferunt in patientia.* (Luc. 8. 15.) Quæ tibi proinde neceſſaria perhibetur ad corporis macerationes, vigilias, ignominias, ieiunia, morbos, carceres &c. Primos intuere palmites, quomodo excepti: *Ludibria & verbera experti, inſuper & vincula & carceres: lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt &c. egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in ſolitudinibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terræ.* (Hebr. 11. 37.) Contemplare palmites illos fœcundiſſimos, quibus mundus non vidit vberiores: Apoſtolos, martyres, ita reſciſſos, confeſſos, omnibus ſuis ſpoliatos ſarmentis, bonis, opibus, domibus, filijs, dignitate, quinimo & ipſa vita, quâ nihil homini charius. Mirare Anachoritas, tam arctè concluſos, tam rigidè luxuriantibus nudos pampinis huius mundi. Hoc putandi modo fructus gratiſſimus Deo conſecratur. Et hac quoque doctrinâ Chriſtus ſuos præmonuit diſcipulos inſtante ſuæ paſſionis horâ vt viderent eum, qualem breui viderent captum, ligatũ, flagellatum, coronatum, crucifixũ denique mortuum, exemplum non ſumerent ſcandali, nec debitã ei tollerent negarentque auctoritatẽ, Hoc (ait) ſcitote diſcipuli mei deſideratiſſimi: *Ego ſum vitis, &* (Ioan. 15. 1.)



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

III. Chriſtus bene putatus nobis fructuoſior.

*Pater meus agricola eſt.* Viden' qualiter tractet agricola vitem? reſcindit, putat, pampinos aufert, racemos contrahit, lacrymas ſtillat, vt nihil in mundo ea languidius, miſeriuſque eſſe videatur; at non hoc ea fit intentione, vt palmes exareſcat, quinimo hac putandi ſeueritate ad fructus diſponitur fœcunda ſapidiores. Hoc pater meus cœleſtis exequetur; qui velut agricola, me vt vitem putabit, ſarmenta reſcindet, orbabor diſcipulis, ſolus relinquar veſtibus nudus quas inter ſe milites ſub alea diſpertient, infirmus, inglorius, ſine ſanguine, in crucem elatus, talis vt omnium miſerrimus habear: *Factus pro nobis maledictum.* Attamen ſic ſuadet ratio, cum vitis ſim: hoc enim modo fructus feram abundantiſſimos, totius mundi ſaluationem, omnium remiſſionem peccatorum, cœli reparationem, terræ remedium, peccatoribus indulgentiam, iuſtis gratiam. Hic impletur: *Multum fructum afferet.* Hinc cauſa patet, cur tam modicus ex vobis Deo fructus colligatur, quia veſtras non præſcinditis voluptates, non tondetis delicias, non premitis vanitates, non refrœnatis carnis petulantiam: Ne quidem minimum fertis honori veſtro ſarmentum auferri, opum veſtrarum, veſtrarum atomum deliciarum. Ignoratis toti ſenſibus addicti, quid ſit vel vnicum verber diſciplinæ, lectus tabularum chanmeniæ, ieiunium in pane & aqua rigidiſſimum, &c.

Gal. 3. 12.

## §. 7. *Plantati ſumus in Eccleſia ſicut palmites, ex libera meraq; Dei bonitate, quod indicat oleum Iacob.*

☞ 14 Tertiam produco rationem, vt domeſtico manuali ac humili exemplo declaret totius Theologiæ quæſtionem altiſſimam, profundiſſimum myſterium, diuinæ gratiæ ſecretum abſconditum, Deique prouentiſſimam gratiæ diſpoſitionem. Sacramentum adeo ſublime, vt ipſe prædicatorum primicerius doctoratus in cœlo laureâ coronatus dum eius diſputat rationem, quæſtionem cuius abſoluiat: nobiſque omnibus ora obſtruat: (a) *O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit?* Nihil in Sacra Scriptura frequentius, nihil nobis à Deo ſæpius ac diligentius inculcatum, quàm noſtræ iuſtificationis & redemptionis opus ex mera ac libera Dei voluntate profluxiſſe, quâ hunc voluit eligere reprobare alterum, tibi lumen infundere, ad ſuam vocare Eccleſiam, ſacri baptiſmatis lauacro eluere, ſuâ illuſtrare gratiâ, ſuprema ſaluationis media ſuppetere, milliones autem hominum eiuſdem tecum naturæ ac dignitatis nocte infidelitatis, ac peccatorum abyſſe relinquere perituros. Ad quid hoc Domine? Cur hic hic & non ille? Hoc argumentum video in Sacris litteris ſi quod aliud ſæpius repetitum, hoc thema principale prædicationis præſertim verò eius qui inter alios palmam tulit eloquentiæ, cuius hæc erat quotidiana ſententia: *Liberauit nos & vocauit nos vocatione ſua ſancta, non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum ſuum & gratiam.*

Ratio. 3.
I.
Ex mera Dei bonitate palmites plantati ſumus.
Rom. 11. 33.
(a) Se echo liles via eius. en la barrja.
1. Timot.

Vt verò huius nos veritatis redderet certiores, multa Spiritus S. profert ſymbola, & exempla ex iis quæ præ manibus habemus duo præcipuè ceteris antecellunt ex ore Sapientis: Primum ſumitur ex ipſis diebus: omnes eiuſdem ſunt naturæ, & quaſi ſuffulturæ temporis eiuſdem ſolis effectus, qui dies illuminat, magnam nihilominus licet videre inter illos differentiam, quoſdam enim eligit ſibi Deus, in ſui nominis ac gloriæ feſtiuitatem, alios tuis permittit vſibus, lucroque deſeruire. Citat Moyſen: diem illum attende, decimumquintum Martij, illum mihi volo conſecratum, in eo mihi offerri volo ſacrificium agni illius myſteriolum. Dies ille Septembris, iubeo fit ſanctiſſimus, atque celeberrimus, quidquid in eo faciendum occurrit, opera ſint pietatis. Eodem planè modo plures inuenies dies feſtos, alios verò profanos, feſtos autem paucos, profanos verò plurimos. Domine, (quærit Salomon) quid plus habet hic dies ab altero? quo meliore principio hic differt ab altero? quæ ſanctiores manus illum formarunt, quàm alterum: *Quare dies diem ſuperat, & iterum lux lucem, & annus annum à ſole?* Dies, menſes, & annos, ſol vnus illuminat. Quid cauſæ eſt, cum Deus vnum elegerit, alterum minimè, quod annum ſeptimum, & pariter quinquageſimum ſuo cultui dedicarit? Nullam hic aliam rationem, quàm Dei meram ſuſpicio voluntatem, qui dies hos, vt ſancti eſſent, illos vt profani, liberè determinauit: A *Domini ſcientia ſeparati ſunt.* Quia ſic ipſi placuit, ipſe nouit huius diſcriminis rationem: *Immutauit tempora, & dies feſtos ipſorum, &c. Ex ipſis exaltauit, & magnificauit Deus, & ex ipſis poſuit numerum dierum.* Mirare loquendi formulam; Dies ipſe quoſdam exalta-

II. Ex ſola beneplacito quodam ſuo Deus dies ſcos elegit.
Eccli. 33. 7.

exaltauit, ad gratiæ ſuæ & omnipotentiæ opera præclariſſima celebranda reliquit alios, vt nihil haberent aliud, quàm dierum augere numerum; & vt in numero conſerentur dierum: *Poſuit numerum dierum.*

Pſ. 15
III.
Ita quoſdam ſibi Deus aſſumit, alios reiicit ex libera voluntate.

Hoc modo, inquit, gratiæ percipes myſteriũ: quid rei ſit cur hunc Deus elegerit, vt ſanctus eſſet, & cœleſti gloria magnificandus, illum verò deſereret æterna confuſione deprimendum, cum ex eadem omnes maſſa, vili terræ figmento ſint procreati, eodem Adam patre progenit: *Et omnes homines de ſolo & ex terra, vnde creatus eſt Adam. In multitudine diſciplinæ Domini ſeparauit eos, & immutauit vias eorum, ex ipſis benedixit, & exaltauit, & ex ipſis ſanctificauit, & ad ſe applicauit, & ex ipſis maledixit, & humiliauit, & conuertit illos à ſeparatione ipſorum.* In textu Græco lego: *Et ſubuertit illos à ſtationibus ipſorum.* Hæc cum ipſo Theologis diſcutienda relinquamus; attamen aduerte, quòd ſtatim à mundi primordio elegerit Abel, reiecerit Cain; aſſumpſerit Abraham, & eius familiam, alias reſpuerit? Ex eiuſdem filijs benedictus Iſaac, Iſmael maledictus: Iacob approbatus, Eſau reprobatus. Sibi in populum deligit Hebræos, de terra porro propria exterminat Chananæos. Quis horum omnium auctor? Deus ex libero iudiciorum ſuorum ſapientiſſimorum decreto, ex mera iuſtaque voluntate.

IV.
Sicut lutum in manu figuli, ſic homo in manu Dei.

Secundum addi exemplum ac de figulo metaphoram: cum ſint enim eius omnia vaſa ex eadem terræ maſſa iiſdem conficta manibus, in eadem rota circumacta, quædam tamen ex illis fingit, vt menſæ deſeruiant, vt catini, paropſides, diſci &c. alia quæ ſemper ignibus exponantur, vt lebetes, ollæ, cacabi, quinimo & alia ſordibus apta, deſtinataque recipiendis: *Quaſi lutum figuli in manu ipſius, pſalmare illud, & diſponere, omnes via eius ſecundum diſpoſitionem eius, ſic homo in manu illius, qui ſe fecit, & reddet illi ſecundum iudicium ſuum.* Eandem Deus propoſuit ſimilitudinem Hieremiæ, quem in domum remiſit figuli, & hâc potiſſimũ D. Paul. vtitur ad huius enodationem ſacramenti. Sicut lutum in manu figuli, quocumque voluerit vertit illud, effingit, detorquet, immutat, figurat ad mentis ſuæ intentionem: ita quoque Deus: *Reddet ei ſecundum iudicium ſuum.* Aptiſſima exempla.

Eccli. 33. 13.
Iſa. c. 45.
Hier. 18.

Verumtamen his rationem Chriſti de vineæ parabola præferamus: in nullo ſic elucet beneplacitum ac libera vinitoris voluntas, quàm in plantanda vinea: cum ſint enim omnes palmites æquales, ſibique in eadem natura ſimiles, hunc colligit, illum relinquit, hunc colligit terræ inſerendum, alterum relinquit ignibus comburendum: quæ precor huius cauſa diſcriminis, quid meruit hic, quid deliquit alter? quid in hoc magis, quàm in altero prænotauit? Nihil ſane niſi quod hæc ita libera ſua faciat voluntate: quia ſic ei placuit hunc aſſumere, & alterum omittere. Eccleſia, vinea eſt, in qua Deus in palmites plantauit Chriſtianos. Cur enim, cum omnes eſſent vnius vitis Adam ſcilicet, palmites, nec vnus alterum virtute meritoque præcederet, nos ſuæ inſeruit Eccleſiæ, & ſine numero plurimos alios deſeruit, qui in faſces compacti, non niſi ad incendij valent infernalis alimentũ? Ex gratuito ſuo ſic egit beneplacito, quia ſic ipſe decreuit: *Saluum me fecit, quoniam voluit me.* Quod eleganter expreſſit præclariſſimis illis verbis Apoſtolus: *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.* Quæſtionem mouet Apoſtolus, cur aſſumptus Iacob, reprobatus Eſau: vnius cũ eſſent patris & quidem fratres gemini, velut præciſi ex eadem vite palmites: *Non ex operibus, ſed ex vocante.* Gratiæ deputatur non merito: Gratiæ opus fuit eligere Iacob, non electo Eſau. Idem de nobis: *Non ex operibus.* Cur Deus tot milliones infidelium deſeruit in hoc mundo, æternis inferni flammis exurendos, vt ſarmenta inutilia, nos autem elegit, nos aſſumpſit, nos in Eccleſiæ ſuæ plantauit vineto propagines? *Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.*

V.
Nos liberâ Deus plantat voluntate.

Pſal. 17. 20.
Ad Titũ cap. 3. 5.
Rom. c. 9. 10.

Spectat, vt opinior tam prudens, quam myſterioſum illud Iacobi patriarchæ facinus, à D. Auguſtino enucleatum. Deſerta iuuenis perambulabat, & dum minus ſtudioſius obſeruat, in locum incidit certe mirabilem, vidit in eo ſcalã, cuius cacumen cœlos tangebat, & aſcendentes, deſcendenteſque Angelos: ſtupet ad viſionem hanc magnam, bis ter, exclamat: *Vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam,* & iterum. *Quam terribilis eſt locus iſte! Non eſt hic aliud niſi domus Dei & porta cœli.* Quid porro facit? Surgit, & lapidem quem capiti ſuo ſuppoſuerat puluinar, oleo perfundit, qui cum eſſet iuuenis opilio, ſecum continuo lecythum olei deferebat, quid inde? *Erexit lapidem in titulum, fundens oleum deſuper:* &c. *Et lapis iſte quem erexi in titulum vocabitur domus Dei.* Millena in hoc ſtupeo ſacramenta facinore, quæ ſuo loco expendimus; at noſtro congruè propoſito, perpende, quàm cœli-

Lib. 16. de Ciu. c. 38.
Gen. 28. 17.

VI.
Eccleſia dicitur locus terribilis, Domanus incor domus Dei ac porta

quàm ad viuum depingat tribus illis vocibus
Eccleſiam. Prima: *O quàm terribilis eſt locus iſte!*
q.d. O locum fortiſſimum, nullis expugnandum
viribus. Habes hic Chriſti Eccleſiam inexpugna-
Matt. 16. bilem: *Portæ inferi non preualebunt aduerſus eam.*
18. Hoc quoque illam cœleſtis ſponſus laudat epi-
Cant. 6. 3 theto: *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Se-
cunda: *Verè Dominus eſt in loco iſto.* Quam belle
hoc conuenit Eccleſiæ, de qua Dominus ad diſ-
Matt. 28. cipulos: *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque*
20. *ad conſummationem ſæculi*: hæc mons ille præcel-
Pſ. 67. 17. ſus, cuius canit præconia pſaltes: *Mons in quo be-
neplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Domi-
nus habitabit in finem.* Nulla quoque melior Ec-
cleſiæ definitio, quàm ea, quam dedit Angelus
D. Ioa. demonſtrans Eccleſiam: *Ecce tabernacu-*
Apo. 21. 3. *lum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.*

Tertia: *Non eſt hic aliud niſi domus Dei, & por-*
1. ad Ti- *ta cœli.* Aptiſſima Dei Eccleſiæ deſcriptio: *Domus*
mot. 3. *Dei, quæ eſt Eccleſia*, inquit D. Paul. Hæc illa do-
mus eſt, in qua Deus habitat, non illa Donati,
nec Mahometis, nec Lutheri, nec Arij &c. *Et
porta cœli.* Nec enim in illud cuiquam patet in-
greſſus, niſi per Eccleſiam, nec Maurus, nec Iu-
dæus, nec Arabs cœlum intrare poſſunt, niſi in-
trent Eccleſiam, fidemque ſuſcipiant Saluatoris:
*Extra Eccleſiam non eſt ſalus.* Sed quidquid hic
eſt, porta dicitur cœli: *Nō eſt hic aliud niſi domus
Dei, & porta cœli.* Si puſio baptizetur recens na-
tus, ſi adoleſcens Sacro liniatur chriſmate, ſi ex
altari venerabili Chriſti paſcatur corpore, ſi ad
pedes confeſſarij pœnitens abſoluatur, ſi valetu-
dine extrema laborans inungatur, ſi conſecren-
tur Sacerdotes, cuncta ſunt hæc porta cœli. Por-
ro qui hic inuenitur, quo iure ad hæc nititur,
quo gaudet titulo? num forte ſuis meritis? ſuis
Rom. 9. operibus? *Non eſt volentis, neque currentis.* Quid
16. igitur? Petra oleo perfuſa: *Erexit lapidem in titu-
lum*, Petra Chriſtus, hoc quippe ſe nomine in E-
uangelio ex Dauidis ſe nuncupat pſalterio: *Lapi-
dem quem reprobauerunt ædificantes*; lapis perun-
Luc. 1. 78. ctus, non noſtris meritis: *Non ex operibus iuſtitiæ,
quæ fecimus nos*, ſed oleo miſericordiæ: *Per viſce-
ra miſericordiæ Dei noſtri.* hic eſt titulus, quo ni-
timur, vt ibi ſimus, vbi nos eſſe gloriamur, in
Dei plantari Eccleſia, mera Dei gratia, gratuito
Pſ. 51. 10. beneplacito, non merita miſericordia: *Non ex o-
peribus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum
ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit.*

VII. Hāc apprimè gratiā nouerat rex & propheta
Deo ſuā Dauid: *Ego autem ſicut oliua fructifera in domo*
Dauid *Dei, ſperaui in miſericordia Dei in æternum*, &c.
adſcribit *Confitebor tibi in ſæculum quia feciſti.* Nullius
meliori nititur ſpes fundamēto (inquit D. Chry-
ſoſtom.) quàm eius, cui adſunt hæc duo: vnum,
fides, hanc deſignat, dum ſe plantarum aſſerit
in domo Dei: aliud: opera: quæ per oliuam
fructiferam indicantur. O quam ſibi de hac ſor-
te gratulatur Dauid: At vnde hoc tibi? quo-
modo comparaſti: Ad Deum conuerſus excla-
mat: *Confitebor tibi Domine, quoniam tu feciſti,
Confiteor* (interpretatur D. Chryſoſtom.) *Idem
eſt, quod gratias ago*: quia in nullo te oſtendis
gratiorem, quàm in recepti beneficij memo-
riā. Omnibus diebus vitæ meæ, immenſas tibi
Domine referam gratiarum actiones: *Quoniā
tu feciſti.* Non ait, hoc aut aliud feciſti, vel tu
illud feciſti, ſed abſolute: *Tu feciſti.* Quando in S.
Scriptura Deus dicitur aliquid facere abſolute,
non hoc aut illud determinatè, ſignificat, facere
miſericordiā. Ita multi Dauidis illud exponunt:
*Tempus faciendi Domino.* hoc eſt, vtendi miſeri-
cordia: quinimo ſeipſum Dauid explicat his ver-
bis: *Reuela Domino viam tuam, & ſpera in eo,
& ipſe faciet.* Accedat vates Daniel: *Placare Do-
mine, attēde & fac, ne moreris propter temetipſum
Deus meus.* Dicit igitur: Gratum me tibi Domi-
ne, memoremque ſemper præſtabo: tota quip-
pe hæc mihi ſors optima de tua manauit be-
nignitate, opus hoc fuit immerita miſericor-
diæ, plantari me in tua palmitem eccleſia, in
qua ſolummodo vitæ fructus proferuntur ſem-
piternæ.

### §. 8. *Hoc ſummi beneficij loco poſito plantatum te in hac vinea, ne tibi ſuccedat, quod Adamo, ingratiſque philoſophis accidiſſe nouimus.*

QVod Dauid facit hortatur nos D. Paulus
vt ſemper agamus, qui plantati in Dei
Eccleſia viuimus: *Gratias agentes Deo &*
*Patri, qui dignos nos fecit in partem ſortis Sancto-
rum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tene-
brarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis
ſuæ, in quo habemus &c. remiſſionem peccatorum.*
Habent hæc verba, quod in eis conſideremus.
Tangit ex meo iudicio Apoſtolus, quod egit Da-
uid, & valde erat regibus familiare, quando vi-
delicet ciuitas quædam à debito deficiebat iu-
ramento, militem conſcribebant numeroſum, &
exercitu comparato ſigna cum hoſte conſere-
bant donec illos ſibi rebelles ſubiugarent, qui-
bus iam profligatis, deuictiſque fœdifragis, vt
rex & miſericordiæ, & iuſtitiæ ſuæ daret argu-

mentum ( ſunt enim hæ duæ virtutes vt indiuiduæ regibus laterales ) ſortes mittebant quibus autem dextera contingebat, in partem ab aliis ſegregabantur, quibus vita ſaluſque concedebatur; eis ſuam rex præteriti veniam delicti benignus impertiebat, viſcera monſtrabat miſericordiæ, ſibi conſcribebat feudatarios ac ſeruos, vnde & ſeruus originem ſuam traxit: *Seruus à ſeruando*, quos autem ſors ſiniſtra deprimebat, ſummo rex iure plectebat, gladio colla ſubiiciebat, vitamque trux adimebat.

Lib. 5. de Ciuit. c. 18.

Plus ſatis hanc exprimit D. Auguſtin: conſuetudinem, varias adducens hiſtorias, quibus addo & hoc à Dauide fuiſſe perfectum, de quo ſacra pagina teſtatur, quod victis Moabitis: *Menſus eſt Dauid duos funiculos, vnum ad occidendum, & vnum ad viuificandum.* Phraſi S. Scripturæ *Funiculus* ſortem indicat, quia funiculis menſus eſt Ioſue terram promiſſionis, & cuique ſua ſors obueniebat, ſecundum funiculorum extractionem: vnde & Dauid eadem vtitur phraſi: *Funes ceciderunt mihi in præclaris.* Duos igitur funiculos diuiſit Dauid, vitæ vnum, & mortis alterum in illo ſuæ dabat miſericordiæ, in hoc verò iuſtitiæ euidens argumentum. Hoc notat D. Paulus; Deus Rex regum iure merito toti excandebat ciuitati, naturæ ſcilicet humanæ ob transgreſſum obedientiæ mandatum: *Eramus natura filij iræ ſicut & cæteri.* Vt miſericordiæ, ita & iuſtitiæ ſuæ dare voluit ſpecimen aperti ſſimum, ad hoc duos menſus eſt funiculos vitæ funiculum quibuſdam, nimirum Sanctis diſtribuit, quos de medio ſegregat improborum, eligit, & cœleſti prædeſtinat gloriæ, de poteſtate eripit tenebrarum, ſuæ fidei illuminat gratia, ſpe lætificat, charitate inflammat, de regno transfert dæmonis, ad dilectiſſimi filij ſui terrenum regnum, nempe Eccleſiam peccata his condonat vniuerſa, his vitæ communicat donum vt tandem gloria potiantur ſempiterna: cæteros in ſorte deſerit maledicta, cœcos ſine intellectu, tenebris errorum immerſos, dæmonibus ſubiectos, cum quibus morti æternæ, cruciatibuſque denouentur. Quæ ſunt hæ ſortes? Mera, libera, Deiq; voluntas abſoluta: *Cuius vult miſeretur, & quem vult indurat.* Quibuſdam ſuam offert miſericordiam illuminandis, alios in peccatis deſerit obtenebratos: *Sorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum eius.* Hoc Dauid innuit: *In manibus tuis ſortes meæ. In manibus tuis* ſortes comines, ex beneplacito tuo illas diſtribuens, quod placet faciens: *In manibus tuis*, Domine in libera tua voluntate, ex qua ſortes meæ præclaræ, optatiſſimæque dependent. O quale Dei beneficium perpetua dignum memoria: *Qui dignos nos fecit in partem ſortis Sanctorũ.* Quòd de regno Satanæ nos ad Regnum hoc ſuum tranſtulerit, fide illuminarit, baptiſmo mundauerit, cõfirmatione roborauerit, carne ſua pauerit & ſanguine, in confeſſione peccata remiſerit, in porta ſtatuerit, cœli vitæque cœleſtis, vbi tantum ſpes vitæ fulget ſempiternæ, arcæ ſuæ, velut Noe incluſit, vbi ſolummodo de naufragio refugium, ex qua reliquum coram oculis noſtris miſere ſubmergi videmus mundum, infidelitatis, peccatorumque diluuio, extra quam credimus ſaluari poſſe neminem; ad infernum præcipites demerguntur, quotquot eorum moriuntur, ac de morte temporali, ad æternam tranſeunt mortem, flammaſque maledicti. O ter maximum Dei beneficium.

2. Reg. 8. 2.

II. Duo funiculi vocatio & reprobatio.

Pſ. 15. 6.

Ephe. 2. 3.

Rom. 9. 18.

Ephe. 1. 11.

Pſ. 30. 16.

17 II. Cur ſeptena & ſeptena introducantur in arcam.

Gen. 7. 1.

Ni fallat Apoſtolo occurrit, quod Noe Dominus præceperat, quando illi iniunxit vt in arcam ingrederetur. Decretum iam erat mundum ob non toleranda eius crimina, omniumque corruptionem vniuerſalem, delere diluuio quocirca mandat Noe, arcam fabricet, ſeruandis auibus, animalibus, hominibuſque congruam. Centum viginti annorum tempus homini faciendæ indulſit pœnitentiæ: Neglexerunt illi, dixero verius contempſerunt, abſoluitur arcæ ſtructura. Modo bene innuit Deus, ſic eſt vt volo: *Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam, te enim vidi iuſtum &c. Ex omnibus animantibus tolle ſeptena, & ſeptena, maſculum & fœminam; de animantibus vero immundis, duo & duo, maſculum & fœminam*, animalia ea dicit munda quæ diuinis ſacrificiis apta dedicabantur, quæ ita vocat Moyſes vel per anticipationem, ſatis S. Scripturæ familiarem: vel quod iã ab ipſius mundi incunabulis in vita Adam hæc eſſet nota diſtinctio, quòd non paſſim omnia ſeu animalia, ſeu aues Dei ſacrificio, ſed quædam ſolummodo cenſerentur idonea. Aliorum hæc eſt opinio, quòd voluerit Deus, ex qualibet cum auiũ, tùm animalium mundorum ſpecie ſeptena & ſeptena; ſeptem maſculos, & ſeptem fœminas ſegregaret, hoc eſt *Septena & ſeptena, maſculum & fœminam.* D. Chryſo. D. Amb. Theodoret. Eucherius, imo & Ioſephus Iudæus inter hiſtoriographos celebris probant, à Deo ratũ eſſe præceptum, vt ex auibus, beſtiiſque mundis ſeptem ex qualibet ſpecie in arcam admitterentur: ſeptem ex ſpecie columbarum, ſeptem turtures, ſeptem minoris armenti, oues, arietes &c. maſculos & fœminas. Obiicies: ſi ſeptena ſint, qua ratio

Apud Lipõ. Gen. 7

ratione vna ſociabantur, vt maſculus & fœmina conueniant? Reſpondetur, Deum mandaſſe, vt tribus paribus maſculo & fœmina conſociatis ad ſeminarium, ac ſpeciei conſeruationem, ſeptimum Deo ſacrificandum ſupereſſet, tranſacto diluuio, egreſſiſque cunctis de arca, ſicut legimus Noe obtuliſſe Deo in odorem ſuauitatis.

III. Deus à nobis expoſcit gratitudinem.

Graue ſanctumque myſterium, Etiam ante ingreſſum in arcam, etiam ante vel vnam pluuiæ guttam ad diluuium, quo cuncti ſunt demergendi, præcurrit Deus, ac diſponit, vt ſibi Noe aues, ac animalia comparet munda, quæ tranſacto diluuio Deo ſacrificet, in gratiarum actionem, quam ei ſolueret, dum per aquas toto pereunte mundo, cunctiſque hominibus, nemine ferente ſubſidium miſerè præfocati ipſe ſe, vxorem liberos, nurus, totamque familiam, tantæ cladi ſuperſtitem, in terram ſiccam, ſtabilemque egreſſum, ſaluum & incolumen euaſiſſe lætaretur, Si tantò igitur zelo Deus gratiarum depoſcat rationem, vt eam tanto præuenerit tempore, ne dicam anticipata diligentia, cum talis ſit, beneficij ab altero repetere nondum recepti memoriam: quid quæſo tibi incumbit agendū dum elatis ſurſum mentis oculis perire cernis hoc in mundo tantam Æthiopum, Iudæorum,

IV. Vocationis donū expenditur.

Arabum, hæreticorumque turbam, tot in China paganos, tantam à tot ſæculis præteritis in Indiis orientalibus ac occidentalibus multitudinē, tibi vero nondum nato de quo nemo ſomniabat, iam hanc eccleſiæ arcam præparat, ſalutis vitæque domum tutiſſimam. Non illam tu, vt Noe arcam, ædificaſti, hoc eius adſcribitur curæ, deputatur diligentiæ, eam tibi iam pridem præparaſſe, vt natus illam continuo ingredereris, quatenus reliqua mundi pereunte multitudine, tot te periculis ereptum, ſaluum te lætareris. Hoc igitur Dei beneficium, hoc tale miſericordiæ pietatiſque donum nullo die nulla temporis vetuſtate, nullo caſu non grata erga Deum memoria deleatur: *Gratias agentes Deo Patri &c. qui eripuit nos de poteſtate tenebrarum, & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ in quo habemus &c. remiſſionem peccatorum, per ſanguinem eius.*

☞ 18

O verba ſiquæ alia, myſterioſa, quorum plurimis ſingula turgent myſteriis, & mea quidem ſententia, ſimul ſumpta beneficium recolunt Iudæis olim præſtitum, & à Moyſe feſtiuo illo cantico celebratum, quod omnium primum nobis in ſacro eloquio ſcriptum occurrit, & trecentis plus annis prius decantatum, cæteris omnibus elogiis à veteribus illis Poetis excogitatis, quos mundus coluit, Lino, Muſæo, Orpheo. Tranſuadant Iſraelitæ mare rubrum ſicco veſtigio: Pone ſequitur rex Pharao eodem tramite, numeroſiſſimo ſtipatus exercitu, at omnes aquis inuoluti, vt ne vnus quidem ſuperſtes factum poſteris queat enarrare. Reflectunt ex littore ſalui ac ſecuri oculis cunctos ſubmerſos cernunt inimicos, maris vndis huc illucque diſperſa cadauera, hanc fuiſſe Dei manum mirificam collaudant, timent, contremiſcunt: *Viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos, timuitque populus Dominum.* O potentiſſime Deus, ſtupeo miraculum: eodem omnes gradiuntur itinere, idem tranſmittunt mare inter eaſdem ſtupentes vndas, hos cernimus præfocatos, & æternum perditos, nos autem in firma littoris ſtatione, gaudentes, ſecuros, incolumes. Hæſunt, inquit Moyſes, miſericordiæ Domini, quas, dignum, & iuſtum eſt, feſtiuis gaudiis celebremus, Denique canamus gloriam: *Cantemus Domino*: Quid cantabitis? An copioſa nobis non ſuppetit de laudanda erga nos Dei miſericordia materia, cum eos qui ſummo nos rigore afflixerant, ipſe condemnarit, quinimo, vbi eos ſeuerus plectit iudex, ibi benignus ac miſericors nobis pater indulget: *Quis ſimilis tui in fortibus* Domine? *Quis ſimilis tui magnificus in ſanctitate, terribilis atque laudabilis, & faciens mirabilia* Et quæ precor, ſunt hæc! quæ feciſti mirabilia Domine, dum oſtendis te, in quibuſdam terribilem, vindicem & iudicem, & in alijs mille laudum præconiis digniſſimum, quæ ſunt hæc? *Extendiſti manum tuam, & deuorauit eos terra. Dux fuiſti in miſericordia populo, quem redemiſti, & portaſti eum in fortitudine tua, ad habitaculum ſanctum tuum.* Extendiſti manum tuam contra nonnullos, & deuorauit eos terra.

Notat hic D. Auguſtin. ſub nomine terræ, mare intelligi phraſi non inſolita Sacris litteris, quæ per cœlum, quidquid cœlo continetur, explicat, & nomine terræ hæc ſublunaria: *Terra pro aqua eſt poſita, tota quippe pars iſta extrema, vel infima mundi, terra nomine cenſetur, ſecundum id quod ſæpe dicitur, Deus fecit cœlum & terram.* O quam terribilem ſe Deus oſtendit tot exercitibus, populoque, Pharaonis! Aderat ipſe Rex, conuenerant totius Ægypti magnates Principes. Omnes fluctibus maris tradidit opprimendos. Et quanta eius in populum ſuum miſericordia, columnam eis lucis miniſtrat in bra-

chio potenti, manu terribili ad terram deducit promiſſionis, vbi Sanctuarium ſibi elegerat erigendum. O quæ regio, quàm ſecura! ô quis locus, quàm ſanctus! quàm ſolidè & inconcuſſè diuinis ſuis illum manibus ædificauit! *Introduces & plantabis eos in monte hereditatis tuæ, firmiſſimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine, quod firmauerunt manus tuæ. Dominus regnabit in æternum, & vltra.* Ad litteram agit beneficij memoriam, Iudæis à Deo collati, dum eos Ægyptiaca liberans ſeruitute, demerſis eorum hoſtibus in terram induxit promiſſionis, fœcundam, fluentem lac & mel, cuius Moyſes celebrat prærogatiuas vt noſter aduertit Cardinalis Caietan. tria illi ſingularia eaque eximia aſſignans epitheta. Primum: *Mons hereditatis Domini;* Montem dicit, ex ſitu regionis montuoſo, cuius pars præcipua mons Moria cenſebatur, Sion nominatus, ad cuius radices vrbs eſt Hieruſalem ædificata. Montem vocat hereditatis Domini eo quod illam elegerit regionem, vt populo ſuo eſſet in habitaculum, quem communi nomine appellat: *Hereditas mea Iſrael.* Secundum: *Firmiſſimum habitaculum tuum quod operatus es Domine.* Hoc idcirco dicit, quòd elegerit Deus terram illam, in qua nomini ſuo templum domuſque extrueretur, in qua velut in proprio conſideret habitaculo. Tertium: *Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.* Hoc in eodem verum patet habitaculo, in quo ſuum Deus decreuit eſſe Sanctuarium, ſeu Tabernaculum; vbi diuinæ ſacrificia litabantur maieſtati; quo cunctus confluebat populus ſactificaturus.

VI. Terra promiſſionis triplici epitheto celebratur.

1.

2.

3.

19 Hic quartum annectitur: *Dominus regnabit in æternum, & vltra.* Hæc verba difficultatis habent plurimum. Attamen ipſe Cardinalis Caietan. reſpondit, hæc indicare, quòd Moyſes Propheta non tam de præſtito Iudæis loquatur beneficio, quo illos Pharaonica ſoluit tyrannide, populumq; e terræ promiſſionis fixerit poſſeſſorem; hoc namque corticem ſapit litteræ, quàm de illo, quo plebem præuenit Chriſtianam, cum eam de peccatorum eruerit tenebris, ipſis Ægyptiacis multo craſſioribus, de Pharaonis infernalis dominio eripuerit, ac *Tranſtulerit in regnum filij dilectionis ſuæ,* nempe Eccleſiam, cui longè nobilius præfata conueniunt epitheta. Primùm: *Mons hereditatis Dei;* Hic enim ille mons eſt in quo hi, quos Deus vt ſuos poſſidet, continuò habitant; inſuper & illi, qui regnorum ſuorum heredes aſcribentur, qui ſoli erunt Chriſtiani, qui in hac morati fuerint ciues Eccleſiæ. Secundum: *Firmiſſimum habitaculum tuum, quod operatus es Domine:* Hæc eius eſt Eccleſia, firmum ideo habitaculum, vt portæ inferni aduerſus eam non præualeant. Hoc ipſe conſolidauit, quando Petrum lapidem ſignans fundamentalem illi ait: *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Tertium: *Sanctuarium Dei,* etenim hic ſolummodo vera inuenitur ſanctitas; hic media, hic inſtrumenta poſuit pietatis, Sancta inſtituit ſacramenta.

VII. Hæc tamen aptius Eccleſiæ cōueniunt.

Matt. 16. 18.

Tandem hic verè & propriè dicitur *Dominus regnabit in æternum & vltra.* Non paruum habent hæc verba negotium, eſt etenim æternitas omnem comprehendens duratio durationem, proinde nihil ei addi poteſt vltra. Adi de hoc D. Thom. vbi multa ſubtiliter congerit, ad quem vos remittimus. At longè maiorem habent difficultatem, ſi de terra illa promiſſionis intelligantur, de illo templo, de illo Dei Sanctuario, licet namq; ibidem Dominus regnauerit, ſedem ſuam, cultumque habuerit, attamen non vidit æternitatem, cum finem acceperit; hoc igitur ſuppoſito, quâ ratione dici poteſt: *Regnabit in æternum & vltra?* Communis eſt hæc expoſitio, verba illa, iuxta S. Scripturæ phraſim, longam tantum notare durationem, quæ multa comprehendat ſæcula; ſæculum autem annos centum continet, noſter vero Cardinalis Caietan. ſuam ſequendo ſententiam, vt prædiximus, ſubtiliter ſentit, hæc verè in noſtra compleri Eccleſia, de qua propriè dicimus: *Dominus regnabit in æternum & vltra.* Primò namque regnat hic *in æternum,* hoc eſt ſine fine, vt ipſe promittit Apoſtolis: *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.* Non eſt enim inſolitum, nec à communi abhorret modo loquendi, illud dicere æternum, quod finem non accipit vſque ad conſummationem ſæculi, & poſt hoc in ſæculo regnabit venturo: Hic igitur in ſuis regnat per gratiam: *In æternum,* toto mundi decurſu, & poſtmodum in illis per gloriam regnabit *in æternum & vltra. Verificatur* (loquitur Cardinalis:) *Intelligendo per populum, non Iſrael ſecundum carnem, ſed Iſrael ſecundum iuſtitiam, vt docet Paulus.* Hanc nobis contulit miſericordiam: hæc eſt quæ omnem ſuperat gratia gratiam, miſericordia miſericordiam: quòd *Eripuit nos de poteſtate tenebrarum & tranſtulit in regnum filij dilectionis ſuæ* Vbi vitam conſequimur, ſalutem ac peccatorum remiſſionem, cætera mundi parte in illis & propter illa pereunte Dei Laudate beneficium Dei, applaudite miſericordiæ.

1. p. q. 10. a. 2. ad 2.

Matt. 28.20.

Caiet.

Non ſe poterat cohibere Dauid, quin perpetuas Deo perſonaret laudes, cumq; ſe ad hoc eſſe iudi- 20

caret imparem, omnes conuocat nationes, omnes excitat populos, vt ſibi dent manus: quæ ratio? quia animam eius carnibus indiderit vt eis vitam
Pſ. 65. 8. datet: Præconē audiamus: *Benedicite gentes Deum noſtrum, & auditam facite vocem laudis eius, qui poſuit animam meam ad vitam.* Dic quæſo Dauid, quam poſuit animam in corpore Deus, quæ non ſit vt illud viuificet? proprius hic eſt effectus animæ, viuificare, ita eam definit Philoſophus: *Principium viuendi.*

VIII. David Deo gratias agit ob vocationis beneficiū. Gen. 2. 7.

In eum finem illam præ ceteris creauit, quæ fuit primi noſtri progenitoris Adæ; quando quaſi de ſuis eam educens viſceribus diuino quodam ſpiraculo corpori infudit: *Et factus eſt homo in animam viuentem.* Profundum hic notat Propheta myſteriū. Quaſi infinitas creat Dominus animas, nec omnes poſuit ad vitam, cum qui illas recipiunt, ad mortem venturi ſint ſempiternam. Omnes infidelium animæ, Arabum, Æthiopum, hæreticorum, ab eius ipſius creantur manu, ille eas corporibus inſpirat: nullis autem illarum intendit abſoluta vitam dare voluntate, ſed ſuas ſequentes voluptates, illicitaque deſideria in æternam mortem deuoluentur. Attentè hoc rumina, quod eodem quo tuam die creauit animam, tuoque infudit corpori, mille ſimiles creauerit, ille ipſe fuerit, qui deliberato illas creauit conſilio: plurimas autem in Arabum corporibus, vbi morientur, vitæ inhærentes pecuali, quam Mahometis docet Alcoranum: alias in Tartariam relegauit, quæ ſuis regentur appetitibus, & ad ignes properabunt curſu celerrimo ſempiternos, alias reiecit in Angliam, vbi Lutheri, Caluini aliorumque hæreticorum ineptijs fidem adhibentes, diſperibunt; alias in China poſuit, ad extremas orbis plagas, vbi, quis ſit Deus, illis numquam innoteſcet, donec illum naufragi perdiderint, & de mundi tenebris ad palpabiles inferni tenebras cœci tranſmeârint.

IX. Quid ſit quod Deus ponat animas ad vitam.

De his omnibus non incongruè dicimus, quòd illas poſuerit Deus non ad vitam, ſed ad mortem, non quidem poſitiuè, ſed eo modo quo declarant Theologi, dici à Spiritu S. quod Deus induret, excæcet, tradatque peccatis: de quibus modo non vacat excurrere. Inter tot animarum miriades tuam ſingulari ſuæ voluntatis propoſito in tuo poſuit corpore, in terra Catholicorum, in hâc ciuitate fideli ac pia, in qua recens natum te nutrix exſpectaret Eccleſia, & ſuſciperet, elueret, formaret, quo viuere inciperes vita gratiæ, ſacro fonte baptiſmatis, in hâc plantareris palmes vinea, vt æternæ vitæ fructus adferres lætiores. Quæ ſunt tua, illis præclariora merita? quæ diligentiora ſtudia, quibus hæc mereris. Hæc omnia, dicito, Dei fuit voluntas abſoluta: *Qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Ephe. 1. 11.

Tanti igitur beneficij de mente numquam recedat pereatque memoria: *Gratias agentes Deo Patri:* Nulla tranſeat dies, quin ſurgens è ſtrato, te in Eccleſiæ ſuæ vinea plantatum perpendens, fide diuina illuminatum, tot innumeras nationes infidelitatis errore detentas, hoc primum ſit, fidem confitearis catholicam, & genuflexus diuinam adores majeſtatem, trinam in perſonis, vnam in eſſentia, gratias illi referens, quod libero voluntatis ſuæ conſilio hanc in te ſuam oſtenderit beneuolentiam, negatam quidem alijs, qui fortè te centies meritis, operibuſque ſuperarent, Deo ſeruirent diligentiùs, paribuſque ſtudijs officia diuina compenſarent. Tobiæ ſenioris legito orationem: *Benedico te Domine Deus Iſrael: quia tu caſtigaſti me, & ſaluaſti me, & ecce video.* Repete cum D. Auguſt. toties ab ipſo verba repetita: *Vere Domine tu es Deus meus, qui eduxiſti me de tenebris, & vmbra mortis, & vocaſti me in admirabile lumen tuum, & ecce video. Gratias tibi illuminator meus. Gratias tibi ago, quoniam illuminaſti me, & cognoui te. Ecce video lumen cæli interlucet oculos mentis meæ radians deſuper à facie luminis tui. Gratias tibi ago, lux mea; ecce video; dilatetur, obſecro viſus meus Domine ex te, reuela oculos meos, &c.* Hoc Deum exora, ne talis tibi gratia ſit cauſa damnationis vt Iudæis ex propria nequitia, conceſſa gratia cauſa fuit perditionis. Hoc tuum, ſic conſulo, commune ſit pietatis exercitium, imo eſſet nobis mutuo congratulandum dum inuicem occurrimus, & de felici illa ſorte applaudendum.

X. Illum ... [margin note, partly cut off]

Tob. 11. 17.
D. Aug. In Pſal. Tom. 4.

Sic nos Princeps inſtruit Eccleſiæ: *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis.* Conſidera, quibus nos laudibus illuſtret, quibus noſtram captet Apoſtolus præconijs beneuolentiam, nobis non exigua Dei beneficia reuocans ad memoriam: *Genus electum,* ad cœlorum incolatum. O quale beneficium! *Regale Sacerdotium.* q. d. ſpirituales eſtis Sacerdotes, & reges ab ipſo Deo, eiuſque gratia peruncti. O qualis beneuolentia! *Gens ſancta:* inter quos vera tantummodo pietas veraque reperienda ſanctitas. O quàm ſupremum illud epithetum! *Populus eſt acquiſitionis,* quem ſuâ Deus omnipotentiâ, viribus infinitis, ſui ſanguinis vitæque virtute conquiſiuit. Modo nobis ediſſere ad quem tendunt hæc omnia dona finem? *Vt virtutes enarretis eius, qui de tenebris vos vocauit in admirabile lumen ſuum.* Vt plateas foraque perambulantes, ac mutuo occurrentes inuicem de tanti Domini benigna-

1. Petr. 2. 9.
XI. Præclara epitheta ... [margin note, partly cut off]

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ſitate ac miſericordia congratulemini, qui de tenebris ipſis Ægyptiacis multo craſſioribus, vos excæcauit, tranſuexit in admirabile diuinumque ſuæ lumen majeſtatis. O quàm accepta Deo forent hæc colloquia, quàm vobis vtiles collationes, de illis igitur miſcete ſermones, vt Dei erga vos merita ſemper donaque conſeruetis. Notat Rupertus Abbas Spiritum S. vocabulo duarum litterarum (&) Adæ cauſam declarare perditionis, eiuſque de paradiſo deportationis. Creauit illum Deus, & in paradiſo collocauit voluptatis, in quo erat: *Omne lignum pulchrum viſu, & ad veſcendum ſuaue.* Quæ cauſæ cur eiectus de paradiſo? Originem ſtatim affert: *Et ſerpens callidior erat cunctis animantibus terræ.* Cur ſic incipit per (&?) Hæc vox numquid eſt coniunctio, quæ ſubſequens nectat priori? Quid præceſſerat in Adam, vt contingens ſerpentis vafritiem, Adam corrueret? Exploratum eſt aliquid præceſſiſſe cum ſpiritus S. *Et* addat coniunctionem. Sic eſt, inquit Rupertus. Quod anteceſſit, hoc erat, torpor quidam ac negligentia agendi Deo gratias, pro recepto creationis, ac paradiſi beneficio. Ego (inquit) hanc expendens hiſtoriam, quomodo Deus Adamum creauerit, hominem integrum, abſolutum, mille perfectionibus, doniſque cum naturæ, tum gratiæ prædiuitem, quòd illum paradiſi dominum, poſſeſſoremque firmauerit attendi diligentiùs, num forſan homo ille tantorum recolens memoriam beneficiorum Deo omnium gratias redderet largitori, in genua procumbens tanti doni agnoſceret, coleretque magnitudinem, & hoc non inueniẽs, ſic infero; Indubiè omnium hic homo donorum patietur naufragium, paradiſi poſſeſſione exterminabitur, & verum fuiſſe vaticinium rei probauit euentus, huic namque negligentiæ, virtuali ingratitudini, vidi continuo ſubiungi ſerpentis aſtutiam. Quando vero hæc ſubintrat, & hominis copulatur ingratitudini, & agendi Deo gratias annectitur ſocordiæ, actum eſt de illo, ad ruinam caſumque properant Dei magnifica beneficia: tantam enim meretur ruinam hominis ingratitudo, vt Deus manum retrahat auxiliarem, omnium iacturam donorum, immemor ille patiatur.

[21 Rupert. Lib.1. in Gen.c.39. Gen.c.2.9. Gen.3.]

[XII. Adam ex ingratitudine labitur.]

[D. Aug. L. Soliloq. c.18. Tom.9.]

Audiamus de hoc D. Aug. *Scio namque quod ingratitudo multum tibi diſpliceat, quæ eſt radix totius mali ſpiritualis, & ventus quidam deſiccans, & vrens omne bonum, obſtruens fontem diuinæ miſericordiæ tuæ ſuper hominem, qua & mala mortua iam oriuntur, & viua iam opera moriuntur, & vltra non adipiſcuntur.* Addamus D. Bern. *Ingratitudo inimica eſt animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio. Ingratitudo ventus vrens, ſiccans ſibi fontem pietatis, rorem miſericordiæ, fluenta gratiæ. Peremptoria res eſt ingratitudo, hoſtis gratiæ, inimica ſalutis. Dico ego vobis, quoniam pro meo ſapere, nihil ita diſplicet Deo, præſertim in filiis gratiæ. Viam enim obſtruit gratiæ, & vbi fuerit illa, iam gratia acceſſum non inuenit, locum non habet:* Ea quoque de cauſa, notatore D. Paulo, huius ſæculi Philoſophi perierunt; quos agere potuit diabolus præcipites in errores adeo ab omni ratione alienos: quia illos Deus illuminârat ad eius magnalia cognoſcẽda: *Inuiſibilia Dei* quæ mera ſua voluntate illis reuelauit: *Deus illis manifeſtauit*, at tantæ luci pares non retulerunt gratiarum actiones, tantiſque ingrati beneficijs Deum eiurârunt; de quibus ſic Apoſtolus: *Non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt &c. obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, &c. tradidit illos Deus in reprobum ſenſum:* Eia igitur, Chriſtiani, hortatur Apoſtolus, gratiam pro gratia referte Deo, tantam erga vos recognoſcite miſericordiam, recolite beneficia, perpendite, qualem eſſe deceat, quam vitæ rationem eius, qui palmes in hâc vineâ & Dei plantatur Eccleſia.

[XIII. Ingratitudo dãnatur. D. Bern.]

[Ser. 51. in Cant. poſt medium. & Ser. 2. de Euang. ſeptem panum.]

[Rom.1.]

[Rom.1.21.]

## §. 9. Sepem circumdedit ei. *Sepes eſt lex Dei, quæ ſi cadat, intrant feræ, & vineam demoliuntur.*

SEpem circumdedit ei, D. Hier. per ſepem intelligit Angelorum cuſtodiam, ſecundum illud Zachariæ: *Circumdabo domum meam ex his, qui militant mihi.* D. Ambr. diuinam interpretatur protectionem. Nec his contradico. Verum D. Irenæus & D. Chry. per ſepem, legem capiunt diuinam, quæ in Sacris litteris per ſepem, terminos, & vallum exprimitur. *Ne transgrediaris terminos quos poſuerunt patres tui.* Exſiſtit ter ſepimentũ in vinea, vt palmites, pampini, racemi luxuriantes, fructuſque conſeruentur, ne illam animalia contingant, ne à viatoribus decerpantur. En, cur tibi Deus mandata legeſque præſcripſerit, vt te tibi cuſtodiat, & quidquid virtutis habes aut meriti ſartum tectumque conſeruet. Hæc enim tantò erunt ſecuriora, quantò à te Dei lex diligentiùs fuerit obſeruata. De hoc te Spiritus S. admonuit: *Cuſtodi mandata, & cuſtodient te.* Obijcies. Non capio. Num me lex diuina cuſtodiet? Ego illam, bene quidem, at illa me? tenebras hoc inuoluit. Dicito, amabo, mihi; Si Capitaneus eſt caſtro profectus medius inter hoſtes circumuicines, perpetes illi tendentes inſi-

[22 ☞ In c. 22. Matth. Zach.9.8. In c. 20. Luc. L.2. contra hæreſ. c. 39. In c. 21. Matt. Pro.22.28.]

[I. Lex Dei vt ſepes hominem cuſtodit.]

[Pro.6.22.]

dias, quis quem ſeruat? Omnes conclamant: cuſtodit Dux caſtrum: attamen & æquè verum eſt, ipſum caſtrum Ducem tutum, ſaluumque cuſtodire: tantoque erit omni periculo liberior, dormietque ſecurior, quanto fuerit caſtrum & ſeruatum diligentiùs, & propugnatum animoſiùs.

Clariùs autem hoc nobis explicat ſermo diuinus, hiſtoriam referens Adæ Protoplaſtæ. Creauit illum Dominus vt vineam palmitibus vberrimis fœcundam, mille botris grauidam. Vinea, anima erat, cuius potentiæ, palmites, virtutes vuæ ſuauiſſimæ, vt autem vinea illa, diligentiùs illæſa ſeruaretur: *Sepem circumdedit ei.* Legem nempe ac mandata ſua: *Deus ab initio*
II. *conſtituit hominem. &c. adiecit mandata & præ-*
Probatur *cepta ſua, ſi volueris mandata ſeruare, conſer-*
in adam. *uabunt te.* Attende ô homo hanc tibi legem præ-
Eccl. c. 15. ſcribo, hoc tibi caſtrum conſigno petroſum,
14. V. 15 quamdiu illud ſeruaueris, ſecurus dormies: mandata cuſtodi, & ipſa te tibi cuſtodient: Sicque contigiſſe cernimus. Accedit diabolus, fera beſtia, vineam ſtudet ſubintrare, hanc Dei videt ſepem, legem erectam, quam homo vigilanter cuſtodiebat, ingreſſus non patet; quid agit? illam demoliri intendit, huic omnem adhibet curam, vt hanc homo legem infringeret, ex vetito ligno Deo inobediens veſceretur. Mandatum tranſgreditur, & ilico liberum adeo reperit ingreſſum, vt omnem vineæ huius & diſtraxerit, maceriam, & fœcundam eius deuaſtarit, euerteritque venuſtatem, miſerè deperijt.

Nec abſimile huic contigit Dei vineæ: quando namque eam de Ægypto tranſtulit, & ad terram duxit promiſſionis, tot florebat fœcunda palmitibus, tot vuis grauida, tot racemis luxurioſa, vt ſummum ipſis Principibus, terrarumque Regibus, quà viâ carpebat iter, horrorem metumque incuteret. Metu percellitur Rex Balac, illam opprimere, eius infringere fortitudinem, commaculare conatur pulchritudinem. Huic ſuæ intentioni congruum ad ſe citat Balaam ariolum, vt ille vineam ſuis maledictis perſtringeret, præſtigijſque dirueret. Opus Balaam
III. aggreditur, at ſepem vidit adeo fortem ac om-
Eâ ſæpe ni ex parte munitam; vt nullum effringendæ
Iudæos ſepis, aut vineæ euertendæ poſſe iudicaret va-
præſer- lere præſtigium: quinimo vocem attollens
uatos admiratuſque exclamat: *Quàm pulchra taberna-*
laudat *cula tua Iacob, & tentatoria tua Iſrael. &c. cuius*
Balaam *fortitudo ſimilis eſt Rhinocerotis.* Deinde ſæpiùs
Num. 24. mutato loco, circumflectens oculos, num per
3.

hanc, nunc per illam pateret partem ingreſſus, integram vndique, illæſamque vineam admiratus, ſic Regem hunc alloquitur. Rex potentiſſime, fruſtra conaris vineam eruere, ſepe namque mandatorum Dei ſeruatur illæſa, integra, abſoluta. Si eius prætendis ruinam, huic primùm adlabora, vt illud corruat ſepimentum, ad hoc neruos omnes intende, vt eius ipſi deſerant cuſtodiam. Quis ille modus? Vrbibus tuis egrediantur forma mulieres elegantiori quæ illos ad peccatum libidinoſæ prouocent; quo patrato tota hæc legis diuinæ ſepes colliſa corruet, quâ muniuntur, & eorum ilico videbis exterminium. Nec fallax vaticinium; Iudæis enim peccata libentibus, cum mulieribus impudicè ſcortantibus; IV.
tanta inter illos ſtrages incenditur, tantumque Hac...
ſumitur de reis ſupplicium, vt ex Principibus, ruinæ
viriſque primarijs ad viginti duo millia viro de & pe...
mortui ceciderint, niſi verò Phinees Dei zelo Iudæo...
æſtuans, & ſanctitate non vulgari notiſſimus, tantæ ſe cœdi medium interpoſuiſſet, de toto erat populo conclamatum: *Stetit Phinees & placa-* Pſalm.
*uit, & ceſſauit quaſſatio.* 15.

Quod & altera vice huic vineæ contigerat; 23. &
ſepe namque intacta, lege diuina cuſtodita ſecura gaudebat, inexpugnabilis, & ab omnibus tuta inimicis: attamen hac dilabente; dum aureum adorant conflatile, vitulum vt Deos efferunt, aditus aperitur, quo cateruatim irruunt, cædes, ruinæ, mala omnia: *Si non Moyſes electus eius* Pſalm.
*ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius.* Alia litte- 23.
ra legis: *Si non Moyſes ſtetiſſet in ruptura muri.* Metaphora ſumitur ab hoſtibus corona vrbem cingentibus, ſe notent ex parte quadam, magnum parietis fragmentum corruere, exemplo cuncti turmatim accurrunt, vt vrbem per hanc muri rupturam victores ingrediantur. En vobis propono Synagogæ interitum: quo etenim die murus ille corruit, legis diuinæ euerſum eſt ſepimentum, vidit Moyſes, cum Deo in montis cacumine familiariùs agens, omnia turmatim
mala, velut conglomeratos inimicos, eo veloci- V.
ter tendere vt illum intrarent peſtem, famem, ig- Moyſes
nes, gladios, cædes, omnia: *Quaſi rupto muro* ſe op-
*irruere.* Feſtinanter, vt ait, tum Moyſes *Stetit in* po...
*ruptura muri.* *Stare* phraſi ſcripturali, *Orare* ſigni- ſe op-
ficat, q. d. vt inimicos vidit per hanc muri rupturam ingreſſum parare, feſtinus ſe oppoſuit, feruentiſſimæ orationis gladio percinctus, qua ſic Deum obteſtatur. In me Domine, hi ruant inimici: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut ſi non facis,* 31.
*dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* q. d. Huic ego Exod.
me periculo expono, ſi imperium faciant inimi- 32.
ci,

ci, mē primùm oportet, proſternant, ne ſuperent, me collidant. Vt video non inſipiens hoc egit, alterum Regem imitatus, cuius cum hoſtes grauiſſima vrbem premerent obſidione, & iam magna ex parte collabente muro, ad ingreſſum cōiungerent, ilico reginæ Helenæ ſtatuam huic rupturæ oppoſuit, quàm nouerat ab inimico rege ſumma coli veneratione; q. d. lanceæ, ſpicula, gladij, incendia, damnaque omnia, quæ hac muri apertura in noſtram proſilient ruinam, hanc prius neceſſe eſt Helenæ venerandam diruant imaginem. Sic ſe Moyſes oppoſuit obicem *In ruptura muri.*

IV. Hinc lucem accipiunt obſcura quædam S. hiſtoriæ verba. Deſcendens de monte Moyſes, poſt erecta à opera Aaronis, populo mouente ſeditionem, auream vituli ſtatuam, denudatum vidit populum, inermem, qui nec hoſtibus reſiſtere valeret etiam infirmis. (Exod. 32. 25.) *Videns ergo Moyſes populum, quòd eſſet nudatus, ſpoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat.* Quæ hæc populi nuditas? benè veſtitus incedebat, imo & veſtibus fulgebat ornationibus, feſtiuoque cultu, ita vt ipſe Moyſes de plebis agens remedio, hoc primum ex Dei iniungit præcepto, pretioſas illas exuat veſtes. (Exod. 33. 5.) *Nunc depone ornatum tuum.* Non de ornatu corporis loquitur materiali, ſed de virtutibus, viribus, ac robore hoſtibus reſiſtendi; hoc indicat: *Inter hoſtes nullum conſtituerit*: hoc enim fit, dirupta legis diuinæ ſæpe; exponi ſcilicet velut ſine ſæpe vineam, patulam vulpibus, lupis, canibus, iumentis, hominibus ita omnibus facilis patet ingreſſus, vt botros diripiant, perdant vineæ venuſtatem, rapiantque fœcunditatē.

VI. Lex Dei benè ſeruata ab hoſte defendit. Audiamus & credamus Deo idem confirmanti; tanto vineam tempore floridam fore conſeruandam, quantò ſepes, lex diuina, intemerata, inconcuſſa, ſaluaque ſeruaretur; tu nemo ſibi de hoſtium timeat incurſibus, nemo famem, peſtem, morbos timeat; qua tamen hora hanc conuulſe videris confeſtim aceruatim cuncta conuolabunt: (Deuter. 28. 10.) *Quod ſi non audieris vocem Domini Dei, vt cuſtodias & facias omnia mandata eius &c. Mittet Dominus ſuper te famem & eſuriem, & peſtilentiam & inimicos &c.*

Hoc autem omnibus ita erat in confeſſo, vt & ipſi Gentiles hoc probè noſſent infideles. Dum

VII. Hoc Achior indicat Holoferni. Holofernes apud Bethuliam, caſtra metaretur, bellicum cogit concilium, quo illam intercipiat: En prodit in medium Achior Dux inclytus, ſuffragium ſuum daturus: Domine mi, hoc tibi exploratum velim, hanc ciuitatem non muniri valló, quod præ oculis cernis ſed altero omnino, ſempe lege Dei ſui: Noueris proinde, quamdiu inconcuſſam hanc populus Dei ſui legem ſeruauerit, nullus ſibi perſuadeat hoſtis, licet copijs inſtructiſſimus, ſibi poſſe in eam viam vi patefacere, eamque ſibi ſubiugare: ſi verò hæc euertatur, ſi concidat, in offenſo pede patebit ingreſſus hoſtibus, quibus nulli viribus ſunt faciliores. Proinde hoc meum ſit iudicium, hoc conſilium; non hoc tuum primùm ſit ſtudium, vt muri ſitum explores ciuitatis, ſed quàm ſtrictè, & inuiolatè ſepes legis diuinæ cuſtodiatur; ſicut enim dirupto muro facilem tibi ſpondere potes ingreſſum, ſic ſi manſerit integer, in caſſum machinas admouebis. *Si non offenſio populi huius coram Deo ſuó, non poterimus reſiſtere illis.* (Iudith 5. 4.) Habes hic ſepem illam fortiſſimam, quæ ciuitates, quæ regna cuſtodit, Dei legem, eiuſque mandata cuſtodita. Quid credis, ingreſſum hoſtibus patefacere, niſi peccata, quibus ſepes aperitur? *Regnum à gente in gentem transfertur propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & varios dolos.*

Circa hoc accuratè diſcurrit D. Hieron. Quis ingreſſum patefecit Medis & Perſis, vt regnum ac monarchiam inuaderent Babyloniorum? niſi ſacrilega Regis impijſſimi Balthaſſari crimina, & quas Daniel exarat fœdiores patris & aui ſui Nabuchodonoſoris impietates? (Eccli. c. 10. 8. L. 5. in c. 24. Iſai.) Quis oſtium Græcis aperuit in regnum Medorum ac Perſarum niſi Darij nefanda ſcelera, ſuperbia, arrogantia populique iniquitates. Quis viam ſtrauit Romanis, vt nullo reſiſtente monarchiam occuparent Græcorum, niſi eorum iniuſtitiæ, eorumque non tolerandа crimina, quibus Dei populum perſequebantur eorum plurimos, vt Machabæos crudeli nece interimendo; Luciferina ſuperbia, qua & ipſi cœlo inferre arma præſumebant, vt de ſuperbo Nicanore ſacrum teſtatur eloquium. (VIII. Legis diuinæ tráſgreſſione hoſtes præualēt.) Ne credideris, monet D. Hier. hanc eſſe noſtrorum hoſtium poteſtatem quâ tot malis affligimur; non ſunt hæc noſtrorum hoſtium arma quibus impugnamur, ſed peccata noſtra, quibus Dei mandata, ſepemque conculcamus. Hæc illis vires miniſtrant, hæc animos addunt, hæc nos eneruant, vt nec illis viribus deſtituti valeamus reſiſtere, illi verò polleant poteſtate & quidem tanta, vt ſuperbi premant colla Chriſtianorum. *Peccatis noſtris barbari fortiores ſiunt, noſtris vitiis Romanus ſuperatur exercitus. Infelices nos, qui tantum Deo diſpliceremus, vt per rabiem barbarorũ illius in nos iræ deſæuiat.* (D. H. 13. in epiſtap. Nepotiani.) In viſionis illis myſticis Danielis de hirco legimus caprarum, ſub quo Græcorum intelligimus Imperatorem Alexandrum cognomine magnum:

*Robur datum eſt ei pro peccato populi*. Quo effe-
Dan. 8. 24. ratus eſt, Deique populum non audita preſſit fe-
Iſai. 42. 42. ritate. *Quis dedidit in direptionem Iacob, aut Iſrael vaſtantibus? Nonne Dominus cui peccauimus.* Non Babylonius nos deuaſtat: non Chaldæus de-
L. 4. Epiſt. 35. ad Cõſtantiam Imperatricem. molitur, ſed peccata noſtra deprimunt, quæ viam hoſtibus patefaciunt, aperiuntque ianuam ingreſ-ſuris.

IX. Hoc late probatur. Parum refert, inquit D. Gregor. numeroſiſſimos conſcribi ab Imperatoribus exercitus, ſi peccatis grauentur innumeris, ſi iniuſtitias committant quotidianas: hæc enim ſcelera iter applanant inimicis in ipſas medias militum legiones, etiam fortiſſimas, munitiſſimas optimoq; ordine cõſtitutas. Hanc nobis veritatem crebro ſcriptura teſtatur, hiſtoriæ aſſerunt prophanæ: quinimò & noſtræ nihil apertiùs eloquuntur. Quis viam ſtrauit Gothis in Hiſpaniam populo barbaro, genti ferociſſimæ, niſi peccata populi plurima? Ac poſtmodũ quis totam illam ruinæ dedit, cum Mauri ſubintrarunt ex Africa tanta belli facilitate, ac Mauris proſpero ſucceſſu, vt infra triennium, vel vt dicunt alij infra menſes quatuordecim, Andaluziam ingreſſi totam illam regionem occuparint, ſuoq; adiecerint imperio, quod fidem excedit, niſi profana morum diſſolutio, quibus peſſimis à planta pedis, vſque ad verticem male ſana Deo diſplicebat, ab ipſo Rege D. Roderico, vſque ad infimum totius plebis homuncionem? Quid conquerimur omnes eius ciuitates adeo vaſtatas, ſolo tenus euerſas? Quid dolemus tot huius vineæ palmites, prius tot botris grauidos, fructibus viuique ſuauiſſimis ſpoliatos? Quid deflemus tot illuſtres familias, tot præclara ſtemmata, quibus nec clarus ſupereſt in pariet? Quid ingemiſcimus tot inculta palatio, tanta priùs ſplendentia celſitudine tantis ſuperba gaudijs, hiſque omnibus, illam miſerè, denudatam? Quis viam tantæ patefecit paupertati, ignominiæ, ſterilitati, decidentiæ, rerum omnium penuriæ? Non aliud quæramus, peccata noſtra ſunt, crimina noſtra accuſemus, hæc Dei legem, hæc vineæ ſepem diſſiparunt, illis modo viuimus temporibus & in hæc incidimus ſæcula,
Oſe. 4. 2. de quibus planctus ille Oſeæ verificatur; *Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundarunt, & ſanguis ſanguinem tetigit.*

☞ 25. Iac. 2. 10. Notiſſima hæc & crebro repetita D. Iacobi ſententia, multas patitur explicationes: *Quicumq; totam legem ſeruauerit, offendat autem in vno, factus eſt omnium reus.* An non eſt illa conueniens, quæ ait: quod ob vnum à te contra Dei commiſſum peccatum, vnum ſolummodo tranſgrediendo mandatum, alia licet obſerues, æternæ ſubijciaris damnationi, cunctus expoſitus malis ac damnis, porta patefacta per quam in domum coaceruatim irruant, paupertas, calamitates, morbi, lites, infortunia? Methaphoram ſumit ab eo cui eſt pomarium, fœcundiſſimum, omnigenis arboribus conſitum, quodam Dominus ſubintrat die, & ecce aduertit pyrum ramis, folijſque deſtitutam, expaueſcit: ignoſcat inquit mihi Deus, vnde tantum mihi infortunium. Quæ tanti cauſa diſpendij? cum ſaluum ſit ſepimentum. Alio regreditur die, & optimam reperit perſicum, fructibus orbatam, vehementiùs obſtupeſcit ſumma proinde diligentia ſepem perluſtrat, & circa angulum aditum patentem deprehendit. Heu mihi, Hac mihi omne aduenit nocumentum, Hac ſubintrarunt feræ, hac fures, qui arbores fructibus ſpoliarunt. De te non fabula, ſed veritas narratur. Erat tibi domus opibus affatim diues, proſpera, fœcunda eſt ſalus integra, dignitas primaria, & ecce die quodam tibi multas mercator pecunias deprædatur, altero tibi ſubmergitur nauis, tibi nihil minus cogitanti lis grauiſſima intenditur, demum tibi vnicus iſque vita charior emoritur filius, tuæ ſpes vnica poſteritatis. Quid hoc? qua tot mihi damna irruerunt? Cauſam ignoras? Sepem obambula, ſcrutare num forte neſcio quo caſu aditum deprehendas, & in ea aliquid eſſe deſtructum. Num alterius vxorem ad peccatum hortator prouocaſti? Num in fornicationem puellam domi, miniſtræ propuliſti? Num falſum emiſiſti iuramentum? Num graui proximum tuum iniuria depreſſiſti? Totam vigili oculo circumſpice ſepem. Heu pater mi! me tali die in illud recordor cecidiſſe peccatum, hoc à me patratum eſſe facinus. Ne igitur obſtupeſcas, quid enim miraris, quod deſtructa ſepe, ſubintret, qui tuarum decerpat fructus vuaſque vinearum?

Hoc impijſſimo dixit Sauli Samuel: cunctis hic ſe malis rex dolebat circumuolutum, quæ tumatim in eum irruerant, ac in tantas redegerant anguſtias; vt quo ſe miſer verteret, ignoraret, viam modumque quærit, quo Samueli loquatur. Quid quæris ò Rex infeliciſſime? Heu Pater mi, ora comedo, premunt me mala. *Coarctor nimis, ſiquidem Philiſtijm pugnant aduerſum me.* Te malo fidere natum, quid miraris, tantis in domum tuam ingreſſum patere calamitatibus. *Quia non obediſti voci Domini, idcirco hæc pateris. &c.* Quinimo & hoc indicabat flagrio ille Semei, Dauidi iniurioſus Qui licet impudens, vera tamen loquebatur, dum rex diſcalceatus, operto capite lugens ac flens exiens Hieruſalem à facie filij ſui Abſalon,

X.
XI.
XII. Saul

ad deſerta ſecedebat: *Ecce premunt te mala tua, quia vir ſanguinum es.* O vinea. Sancta Eccleſia Catholica, quanta te clade feroces depopulantur
2. Reg. 16. 8. beſtiæ! Liceat mihi de te profari: *Vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam, ſingularis ferus*
Pſ. 79. 8. *depaſtus eſt eam.* Quæ Turcarum perſecutiones? quales impetus hæreticorum? quæ fames, peſtes, damna? qua via ſubintrarunt? cecidit ſepimentum: *Deſtruxiſti omnes ſepes eius, deſtruxiſti maceriam eius.* Noſtris permiſit Deus ſceleribus, ſuæ legis corrueret maceria. Quis niſi cæcus, conſpicit hanc Dei legem inter nos eſſe diſſipatam? Quis non altius attendit, quàm liberi, & exleges viuamus?
(a) Mayr a Ad bolidem (a) cadit illa Dei contra populum
pſ. ſuum per Amos Prophetam, ſuper nos condigna
Amos 6. 2. querela: *Tranſite in Chalane & videte, & inde ite in Emath magnam, & deſcendite in Geth Paleſtinorum, & optima quæque regna horum, ſi latior terminus eorum, termino veſtro eſt.*

Firmiter teneo, hunc eſſe ſenſum legitimum, quòd intenderet populum ſuum acriùs reprehendere, quòd ſine lege, ſine termino viueret, dum ſe quiſque quocumque aut poſſet, aut vellet latiùs extenderet. Chalane Babylonia eſt, Emath Antiochia, Geth terra Philiſthinorum: ait igitur. Oculos veſtros per omnes illas infideles, barbaraſque circumducite nationes, ſcrutamini, diligenter inquirite, num quis inter eos ſic ſine termino viuat, omnique excuſſa lege, ſimilis vobis degat moribus diſſolutus. Illos vobis proponite quàm ſtrictè ſibi ab inanibus falſiſque Dijs leges cu-
XIII. Comparatur vita Chriſtianorum cum moribus Gentium. ſtodiant conſtitutas. Et vos modo conſiderate Turcas quàm mordicus Mahometis obſeruent inſtituta: Chinenſes obſeruate, quàm ſyncerè ſuis obediant idolis, quàm ex animo de illorum agant obſequio, vt illis proprios litare filios minimè perhorreſcant. Reſpondete mihi, num alia ſit Reſpublica, quæ poſitos ſibi legum terminos, ſic effrenè, vt Chriſtiana, tranſgrediatur. Interrogo vos, num Regem nouerimus, cui minor præſtetur obedientia, quàm ipſi Deo? Exploratum eſt, in nullo hominem minori timore ac conſcientia turbari, quàm in Dei contemnendis inſtitutis: *Videte ſi ſit latior terminus eorum, termino veſtro.* O ſepes Dei, ô diſſipata ſepes, ô deſtructa vinea noſtra! *Domine Deus virtutum, conuertere & reſpice de cœlo, & vide, & viſita vineam iſtam, & perfice eam, quam plantauit dextera tua.*

§. 10. *Ob deſtructam ſepem, deſtruitur Sichem, & ob eandem in domo ſua à Iacob erectam, & ipſe quoque conſeruatur, hoc quoque poſtulat Dauid, dum legem Dei vult cuſtodiri nimis.*

PLurimum refert, nobiſque maximè neceſſarium ſepem illam diuinæ legis conſeruari inuiolatam, & ſicut illa deſtructa, porta patens aperitur intrandis inimicis, vt quidquid in ciuitate æſtimatur optimum, deprædentur: ita quoque eadem conſeruata, aditus occluditur, ſic vt ſciamus intrare poſſe neminem. Accuratè plus ſatis
hæc prædictis verbis Iſaias expoſuit: *Quis dedit* Iſa. 42.
*in direptionem Iacob, & Iſrael vaſtantibus. Nonne* 22.
*cui peccauimus.* Quantum coniicio, cum populum duplici illo glorioſo nomine compellet eorum patris clariſſimi: qui natus vocatus Iacob, poſtmodum autem à Deo nominatus Iſrael; in memoriam reducit hiſtoriam illam de Iacob, quando & altera vice nomen ei confirmat Iſrael.
Nemo non nouit quid Iacob contigerit, quando Gen. 34.
reuerſus de Meſopotamia, ſobole duodena, ac fi- & 35.
lia Dina paterfamilias in terram peruenit Chanaan. Ad vrbem acceſſit Sichem; Dina verò feminea curioſitate iuuenis, ingreſſa eſt ciuitatem, illius regionis mulieres, earum in veſtibus pompam, in moribus compoſitionem, moduſque ſpectatura. Impudicos in eam oculos coniecit Princeps Sichem, Hemor Regis filius, in eius exarſit concupiſcentiam, vi raptam virginem violauit. Peſſimè hoc fratres acceperunt, nominatim Simeon & Leui, & multis alijs interiectis (a) ſociatis ſibi familiæ turbis, tantæ concludunt ſumere vindictam iniuriæ, nec tantum permittere facinus inultum: vt leones ignem, flammaſque ſpirantes, nudatis gladijs, tam horrenda ciuitatem ſtrage ſunt depopulati, vt Regem ipſum, eiuſque filium, omneſque maſculos interemerint, cunctas ſint opes deprædati, mulieres, pueroſque ad infimam damnarint coëgerintque ſeruitutem. Horribile ſtratagema. In quæſtionem modo, non vertamus, vtrum licitè, an illicitè, num benè, num malè, de quo alibi egimus.

(a) Deſpuertados y preſas.

I. Hiſtoria deſtructionis vrbis Sichem expenditur.

Hoc me rapit in admirationem, qua ratione duo illi iuuenes Simeon & Leui, licet coniunctis ſibi turmis paſtorum, patriſque famulorum, vrbem ingredi potuerint; regem, ac Principem, omnemque maſculum trucidare, vrbem deprædari? præſertim, vt notat D. Aug. cum Simeon



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

L. qq. in Ge. q. vide Lipomā in Gen. fol. 33. p. 2.

vix viginti, & Leui nouemdecim eſſent Annorum. Quis credat adeo iuuenes, in armorum vſu minimè exercitatos, aduentitios ac peregrinos, vrbem adeo fortem, opibus affatim copioſam, numeroſiſſimo populo cultam deuaſtare potuiſſe? Huius facti rationem præclarè aſſignat fortiſſima Iudith in illa oratione ad Deum, dum ad Holofernem, egreſſura Diuinum implorat auxilium: *Domine Deus patris mei Simeon, qui dediſti ei gladium in defenſionem.* Græca lectio habet *in vindictam, alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione, & denudauerunt femur virginis, & dediſti mulieres eorum in prædam, & paruulos eorum in captiuitatem, & omnem prædam in diuiſionem ſeruis tuis.* Deus ipſe filijs Iacob in manus tradidit gladium, ipſe vires ademit ciuitati, ne ſe vaſtantibus opponerent; quid igitur cauſæ? *Quis dedit in direptionem Iacob, & Iſrael vaſtantibus? Nonne Dominus cui peccauimus?* Si rex, ſi filius deliquit, illi plectantur, ille morte facinus luant, attamen cuius culpæ reus totius populus ciuitatis? Omnes (reſpondet Caietan.) nocentes, nec illud tacuit Iudith; dum illos accuſat in plurali: *Violatores extiterunt.* Quorum aliqui nuntium attulerunt Principi vt iuueni, & ad ventrem procliui, peregrinam adueniſſe virginem facie liberali, alij ſtudebant Dinam fouere colloquijs, vt in eam oculos Princeps intenderet, alij ad raptum operam ſuam ſeduli nauarunt omnes denique ſcelus approbârunt, cum nihil referre cenſerent, nec alicuius eſſe ponderis quod Regis filius facinus parabat puellæ peregrinæ, ac eius quæ acceſſerat ignota, deflorationem. Pijſſime Deus, quàm patulam aperuerunt in muro portam ciuitatis, quâ pateret aditus inimicis, cum duo iuuenes imberbes, vix primæ ſanguinis, tam paucis conſtipati, nullo reſiſtente (a) inuadere potuerint ciuitatem populoſam, munitam, prædiuitem, cunctoſque vrbis, gladio cædente perimere habitatores. Hic conſidera, quid ſit cauendum ſi deſtructa fuerit ſepes Dei præcepta hâc in ciuitate; duas plus ſatis fore muſcas, quæ ſubintrent eam, quæ capiant, deuaſtent, nullo reſiſtente deprædentur: in pœnam namque tuorum criminum, omnes tibi auferet Deus vires; omne robur, omnem animum, quem alijs ſuggeret fortiorem, vt diuinæ ſint aptiſſima inſtrumenta iuſtitiæ.

(a) A pie I- lans.

II. Seruatâ legis Dei

Vlterius igitur progrediare, & clariùs innoteſcet, quomodo ſeruata erectaque ſepe; aditus omnes portæque præcludantur inimicis, ne tibi detrimentum inferant vel minimum, licet numero plures, viribuſque fortiores. Patratum igitur illud per Simeonem & Leui facinus, vt ad aures peruenit Iacob Patriarchæ, grauiter filios criminis redarguit, totus animo conſternatur: atque vir ſagaciſſimus quid vobis, filij inquit chariſſimi, venit in mentem, quis furor rapuit incautos? nos pauci ſumus, moramur peregrini, terram intrauimus alienam, in qua & ex vna parte incolæ numero vincunt arenam maris ex altera vt gigantes corporum ſunt proceritate fortiſſimi, qui procul dubio, vt viderint, nos illorum terram ingreſſos; vrbem illorum, metropolim fœdo nimis incendio, deuaſtaſſe, quæ prior nobis occurrerat, arma ſument confœderati, tum nobis quid conſilij? quis reſiſtendi modus, quæ euadendi ratio? Procul dubio actum eſt de nobis: *Simeon & Leui turbaſtis me, & odioſum me fecistis Chananæis, & Phereſæis habitatoribus terræ huius, nos pauci ſumus, illi congregati percutient me, & delebor ego, & domus mea.* Nec vanus ille timor: vt enim omnibus huius innotuit enormitas criminis, acriter commouentur, arma ſumunt, conueniunt exercitus, in Iacob conſpirant, cædemque reciprocam intendunt homicidis.

Gen. 34.

Timet ſibi Iacob, quid conſilij vir prudentiſſime? Modò bene, fugit ad remedium; quod ſibi tantummodo nouerat tantis malis ſupereſſe; Deus noſter refugium & virtus, feruentiſſimæ inſtat orationi: Auxiliare nobis Domine, ne à ferociſſimis ſuperemur inimicis. Cui miſericors Deus: *Aſcende in Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Eſau fratrem tuum.* Ilico conuocat ſuas Iacob vxores, filios, ſeruos, totamque familiam. Eia igitur vxores, filij, famuli, procul idôla exterminentur. An non foret conſultiùs, omnes ſibi pararent arma, & ad locum ſeſe ſubtraherent tutiorem, quo ſe contra ſubitos defenderent impetus inimicorum? Nequaquam. Hæc noſtra ſit prima ſollicitudo, quâ noſtris vires eneruemus hoſtibus, procul idola eliminemus. Rachel autem idola patris ſui Laban furto ſublata apud ſe detinebat, alij alia ex Sichem inter ſpolia ſibi coaſſeruarant. Procul idola, de capite ad calcem omnes ex integro emundentur: *Abijcite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt.* Hoc eſt idola, quæ cordis veſtri penetralibus ſeruatis abſcondita: *Et mundamini, & mutate veſtimenta veſtra.* Ab omnibus idola eijciuntur, & omnis eorū ornatus cultior ablegatur: *Dederunt omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum.* D. Aug. Notat ex Græco textu legi Philacterias, id eſt ornamenta, & monilia, quibus idola exornabant: *Ornamenta idolorum.* Ad proximam exijt terebinthum,

Gen. 35.

thum, ad cuius radices terram eruit, idolaque ſepeliuit: *Infodit ea ſubter terrebinthum.* Non ergo fuerit expediens idola per ignem liquefacere, ſumptumque ſibi & aurum & argentum aſſeruare? Nullatenus; hoc enim intendit, ne eorum vel minimæ ſuperſint reliquiæ, idcirco ea ſubter terram infodit, mortuorum enim per ſepulturam perit memoria? *Quaſi dormientes in ſepulchris, quorum non es memor amplius.*

Pſ. 87. 6.

Multa eaque præclara hic latent myſteria, verũ illud noſtro deſeruit inſtituto, vt attentè conſideres (Monet Rupertus) Iacob Patriarchæ prudentiam. Innumeros forteſque aduertit in ſe, domumque ſuam inſurgere inimicos. Hoc eius primum eſt ſtudium, principale remedium defenſionis, Deos expellere alienos: vbi namque hi obtinent principatum, nullæ ſuperſunt vires hoſtibus procul amouendis, hi licet pauci ſint numero, & robore elumbi, nihilo minus ſi vt numero ita & animo ſint ſuperiores. Hæc illa eſt doctrina, quàm poſtmodum Dominus expreſsè propoſuit Ioſue, dum eiuſdem terræ Chanaan acquireret poſſeſſionem. maximè verò in ſacrilegio Achan, qui furto oblatam auream regulam, ac chlamydem coccineam, contra expreſſum Dei mandatum in tentorio ſuo defoderat. Superabatur ab hoſtibus exercitus Iſrael hactenus inuictus, cladiſque cauſam ignorans Ioſue Deo pronus in terram aduoluitur, cauſam inquiſiturus, cui Deus: *Surge cur iaces pronus in terra? Peccauit Iſrael, & præuaricatus eſt pactum meum, tuleruntque de Anathemate, & furati ſunt atque mentiti, & abſconderunt inter vaſa ſua. Non poterit Iſraël ſtare ante hoſtes ſuos &c. Surge ſanctifica populum & dic eis, Hæc dicit Dominus Iſrael: Anathema in medio tui eſt Iſrael, non poteris ſtare coram hoſtibus tuis, donec deleatur ex te, qui hoc contaminatus eſt ſcelere.* Sanctiſſime Deus: ob vnius delictum, ob chlamydis aurique abſconditum ab vno furtum, & per Deum anathemate non perculſum, omnibus viribus eneruantur, ſic vt nec ſibi conſtent pedibus, quo ſe fortes opponant inimicis, quid ergo non mali timendum, ſi plures eiuſdem criminis rei deliquiſſent? Eia igitur, monet Iacob, hoc primum intendamus, vt noſtris animos, vireſque confringamus inimicis, ne noſtræ noceant familiæ, Deos abijciamus alienos, idola diſſipemus, animas affectibus prorſus emũdemus: *Abijcite Deos alienos, & mundamini.* Quis huius rei fructus? Quod emolumentum? Cum ſuas coniunxiſſent copias Chananæi, Pheresæi, Hethæi, Amorrhæi totaque illa fæx populi inſtar arenæ maris innumerabilis, iamque compoſito procederent ordine phalanges

III. Obvenis Achan delictũ cæditur Iſrael. Ioſue 7. 10.

tanta præſumentes ſuperbia, vt ſibi vix belli initiũ ſeu primas velitationes, contra Iacob eiuſque familiam ſumendas eſſe perſuaderent. Ecce Deus accurrit, vires hoſtibus extenuat, inflatos deprimit animos, timore percellit fortiſſimos, vt omnes nimio terrore correpti, ac animis pauidi in ſuam quique regionem domumq; reuerterentur: *Cumque profecti eſſent, terror Dei inuaſit omnes per circuitum ciuitates, & non ſunt auſi perſequi recedentes.* Multoties in S. Scriptura terror, ſeu timor ille Dei manifeſtatur; qui timor eſt adeo vehemẽs, vt oſſa terrore percutiat, virumque quaſi viribus reddat diſſolutum. Hoc Dei terrore ſecurus adeò tutuſque manſit Iacob, vt in terra illa circa Hebron fixum extenderet tabernaculum, ex quo locorum gregibus filios ad paſtũ circumquaq; dimittebat, nec vllus virum retraxit timor, non veritus eſt militum inſolentiam, non vicinarum calumnias ciuitatum, nec ipſius quidem Sichem vindictæ furoriſque animoſitatem.

Hinc capimus, illud S. Scripturæ, quod Iacob chariſſimum ſibi filium Ioſeph miſerit in Sichem, fratres ſuos viſitaturum qui illis in regionibus greges paſcebant. Vocat puerum pater: reſpondet ille: *Præſto ſum*; quæ tua pater mi eſt voluntas? *Fratres tui paſcunt oues in Sichimis, veni mittam te ad eos*, quid agis Patriache prudentiſſime, nũ ignoras omnium in illa regione ac ciuitate in te motoſque concitatos animos, & ſit ita, ſeniores alij, viribus quibus ſe defendant, potioribus polleant, an Ioſeph paruulus, tibique dilectiſſimus, ſi contra eum ciues inſurrexerint Sichimenſes, indubiè vapulabit. Securus ſum, nihil ſiniſtri timeo cum animo Deo ſeruiendi, quo cuncti protegimur, tales illi remanſerunt vt timore perterriti priùs fugam quàm prælium meditentur. O ſanctiſſime Deus, quod ſi noſtras hoc vallo, muniremus, cingeremuſque ciuitates, ſi Dei legem, ſi ſepem tueremur intactam, qui poſſent hoſtes intrare, qui imperium facere perduelles? Vtinam idola proijceremus, animas vtinã mundaremus, vtinam vitam moreſque noſtros corrigeremus, vtinam hæc prima nobis ſollicitudo cordi, quatenus Dei lex intemerata ſeruaretur; quàm ſecuri viueremus, quàm in ambas aures tuti dormiremus: *Audi Iſraël mandata vitæ*, ſic nos hortatur Baruch. *Auribus percipe, vt ſcias prudentiam*, quid miſeri quæritis tantæ rationem cauſamque perditionis, qua via veſtras occuparint hoſtes munitiones, num ex hac, num ex illa contigerit negligentia: num quia propugnacula apta non fuerint ad reſiſtendum? Terrenæ ſubtiles rationes prudentiæ, hominum argumenta. Veram tibi

IV. Iacob imperterritus Ioſeph mittit in Sichem. Gen. 37. 12.

Baruch. 3. 9.

monſtrauero rationem: *Quid eſt ô Iſrael, quòd in terra inimicorum es?* quid cauſæ, quòd regionẽ armis Nabuchodonoſor intrauerit, te ſeruum ac vile mancipium ad terram deportarit inimicam? *Dereliquiſti fontem ſapientiæ: nam ſi in via Dei ambulaſſes, habitaſſes vtique in pace ſempiterna.*

V. Peccata cauſa ſunt calamitarum.

Quod de Iudæorum loquimur Prouincijs ac ciuitatibus, aptiori ſenſu de tuis hoc intellige & bonis & habitaculis, quæ ſæpènumero luges periiſſe, tibique & damna, & calamitates, & morbos ingruere, vt nec vnde veniant inuenias. Incidit tibi lis in eo grauiſſima, quo te credebas liberiorem; argentariam diſſoluiſti, foro ceſſiſti, qui à periculo immunis eſſe videbaris, ad vltimam decidiſti pauperiem, ex fraudata frugũ meſſe, quam ſperabas fœcundiſſimam, quo dire cruciaris, ſobolis incidit obitus vnicæ, cui tota innitebatur ſpes poſteritatis, & eo quidem tempore, quo de aduerſa valetudine te nec minima ſuſpicio diuexabat; cauſam ſedulus inquiris, nunc hoc, modo illuc te vertis curioſus indagator, culpam das occaſionibus, quæ non ſolidiori nituntur fundamento, quàm ipſa tua imaginatio, tuum inanibus his diſcrucians intellectum argumentis. Audi (ſic te monet Propheta:) *Vt ſcias prudentiam. Quid eſt, &c? Dereliquiſti fontem ſapientiæ.* Væ tibi miſero: perpende, quòd ſepem illam, quæ vineam tutabatur, deſtruxiſti, & mille partibus perfodiſti: hic puellæ florem decerpſiſti virginitatis, illic ad adulterium ganeo prouocaſti coniugatam, modò pauperem oppreſſiſti ſanguiſuga, nunc pauperculam viduam dirè nimis afflixiſti, venerandum Dei nomen inceſſanter inhonoraſti, nedum ſine vllo ſcrupulo iurando, ſed & grauiter periurando: ad hoc tantùm ſtudes, vt decipias innocentem, quem, dum te ſibi poſtulat adiutorem, iniuſtis opprimis lucris: quid in verbis attendimus niſi dolos, niſi fallacias, niſi mendacia; nihil ergo mireris, quod vineam domus tuæ lugeas vindemiatam, imò & palmitibus exciſis depopulatam: quotquot enim contra Deum peccata temerarius audaxque committis, tot portas aperis, quibus irrepant aduerſitates, tribulationes, & quæ tè miſerum deuaſtent mille calamitates. Hoc Deus exquirit, vt ſepem illam mandatorum integram, ſartamque conſerues, ne aliqua ex parte aditum patefacias: vel vnicus enim à te diruptus aditus, ad vineæ ſufficiet ducetque conculcationem.

☞ 28 D. Av. Con. 4. in Pſ. 118. To. 8.

Appendit in ſtatera D. Auguſt. verba illa Dauidis. *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri nimis:* Aduertit autem, aduerbium, (*nimis*) coniungi poſſe verbo (*mandaſti*) q. d. *Tu mandaſti nimis*, id eſt ſummo rigore mandata voluiſti tua cuſtodiri. Similiter & huic verbo: (*cuſtodiri*) quocumque modo capias, inquit D. Auguſt. non congruè videtur dictum: cum quidquid nimis eſt, ſiue in mandando, ſiue in obediendo, cum ſit nimis, vitium arguitur, quod & celebris illa Græcorum, ac Latinorum damnat probata ſententia: *Ne quid nimis. Ne quid nimis quodlibet horum intelligamus, contra illam memorabilem nobilemque ſententiam, hoc datum videtur, quam Græci laudant, in ſapientibus ſuis, & Latini laudando conſentiunt. Ne quid nimis.* Quòd & lucidiſſima ratio confirmat: quia defectus, & nimietas ſibi opponuntur, & ſicut defectus, & vitium eſt, eo quòd non accedat ad id quod iuſtum eſt, ita nimietas peccat, quæ quod iuſtum eſt, tranſgreditur; quinimo & de hoc te monet Salomon: *Noli eſſe iuſtus, multum.* Ipſe legit. *Nimis.* Omnibus enim apertum eſt, quod ſi ab vtili deſcieris, in nociuum decides, vt patet in cibo & potu, quinimo & in medicina, quæ quanto eſt ſanitati conuenientior, ſi quod iuſtum eſt, ſumatur tantò eſt nociuior ſi nimium capiatur. Reſpondet ergo D. Aug hunc loquendi modum eſſe hyperbolicum, & verba per auxeſin dicta; quibus rex ille Propheta manifeſtat, quàm ex animo Dominus ſuorum præcipiat cuſtodiam mandatorum, & quanto nos ſtudio velit ea conſeruare; innuit autem ea in tanto præcipi gradu, ac tanta cuſtodiri debere diligentia vt nimis eſſe videatur, proinde notabis, inquit, ab alijs ſic illa transferri: *Tu mandaſti mandata tua cuſtodiri valde.* Et eadem phraſi idem vtitur eodem Pſalmo: *Mandaſti iuſtitiam teſtimonia tua, & veritatem tuam nimis.* Aduerbium autem *nimis* addere licet verbo; *mandaſti*, vt ſic legatur: *Tu mandaſti nimis.* Domine, à vitio eſt, modus quo nobis tua præcipis mandata cuſtodiri, & per illud intelligi datur quòd ait D. Iacobus, quòd eo modo cuncta præcipiat obſeruari, vt ſic vnius præcepti puniat tranſgreſſorem, ac ſi reus eſſet & tranſgreſſor omnium: *Offendat autem in vno factus eſt omnium reus.* Quis non eſſet ille Domini nimius rigor; ſi ſeruo vaſorum cryſtalli cuſtodiam iniungens, ſic illud ei præciperet, vt vnò diffracto tantis eum afficeret ſupplicijs, ac ſi cuncta dirupiſſet? Similiter licet hoc *nimis* adiungere, verbo cuſtodiri, vt explicet; *Cuſtodiri nimis*; vult enim Deus nimia mandata ſua diligentia cuſtodiri, id eſt tanta, quæ nimia eſſe cenſeatur, ex eadem doctrina D. Iacobi, qua ſic te ſcias ob vnius præcepti tranſgreſſionem eſſe condemnandum, ac ſi omnia tranſgrediens contempſiſſes, quòd varijs

medis

Eccl.

VI. Quod … Dei … nimis.

modis SS. Patres exponunt, quæ non ſunt huius loci. Obſerua verò, doctore D. Aug. confeſtim à Propheta ſubiungi: *Tunc non confundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.* Ne inaduertenter prætereamus, illud vniuerſale: *in omnibus*, quæ ſententia congruere videtur illi, quòd eleganter præfatus ait Apoſtolus: *Si quis auditor eſt verbi, & non factor; hic comparabitur viro conſideranti* (Iacob. 1.) *vultum natiuitatis ſuæ in ſpeculo: conſiderauit enim ſe & abijt, &c. Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.* Confer illud: *Cum perſpexero*, Dauidis, cum hoc D. Iacobi: *Qui autem perſpexit.*

VII. Lex Dei ſpeculum eſt.

Miramur meritò ſpecula, & quæ nobis naturæ auctor Deus prouidit ad vultus noſtri compoſitionem: quotieſcumq; enim illum ritè ſtudes componere, ſpeculum conſulis, omnes quos notas defectus, reparas: illud quippè intueri, noſtros deprehendere defectus, eoſque detegere, & non emendare, nullum inde emolumentum. Oppoſuit Deus noſtræ mentis oculis quaſi pellucidum ſpeculum, legem ſuam cœleſtem, in qua nos ipſos inſpiciamus, velut in ſpeculo diuino, & per illam noſtros deprehendamus defectus eoſque omnes corrigamus. Pro certo habe, licet ſex in vultu maculas corrigas, quas per ſpeculum annotaſti, ſi vnicam non abſterſeris, omnium riſui fatuus exponeris: (a) multa, licet præcepta Dei cuſtodias; & vnum tantummodo tranſgrediaris, coram Deo & fœdus ac confuſus nimis haberis, ridebuntque te Sancti: ſi verò hac te ſtudes confuſione liberare, conare cuncta Dei diligens nimis iuſſa cuſtodire: *Tunc non confundar, cum perſpexero in omnibus mandatis tuis.* Parum etenim refert, vineæ ſepem quibuſdam, imò pluribus partibus illæſam, tectamque conſeruare ſi vel ex vnica parte hoſtibus pateat acceſſus ingreſſuris, botros drepturis palmiteſque vaſtaturis.

(a) Os dorados le Baja.

## §. II. Fodit in ea torcular. *Tam abundanter prouidit Deus vineæ ſuæ, vt ei dicere liceat:* Non plus vltra.

☞ 19 I. Turris variè declarationes.

DEinde turrim ſeu propugnaculum in vinea ſua ædificauit, vt eſſet habitatoribus in fortiſſimam munitionem: *Ædificauit turrim in ea.* Similiter & *Torcular fodit in ea*, vt commodè, ſecurè ac imperturbatè vinum exprimeretur. Multa SS. Patres congerunt, ad horum omniũ declarationem. Dicunt alij, turrim hanc ſignificare templum fortiſſimum, quod vt probat Lyra, in modum turris ædificatum exurgebat, de quo pariter agit Abulenſ. quinimò & ipſe Michæas templum elegãti phraſi cognominat turrim nebuloſam: *Et tu turris nebuloſa*, quia quidquid in eo ſpectabatur, nubes erat, obſcuritas, vmbra, teſte Apoſtolo vt patet in illa nebula, qua totum implebatur templum ipſo dedicationis die ſub Salomone rege potentiſſimo: erat autem turris populo in propugnaculum, cui promittebat Deus, quotieſcumque fame, peſte, bello, morbis aliiſque preſſi calamitatibus, ad illud recurrerent certò certiùs ſe confiderent eſſe liberandos. Per torcular, ſacrificiorum indicatur altare, quo tantus animalium effundebatur ſanguis quantum defluit vini expreſſis vuis in torculari. Verumtamen non vacat omnibus inhærere, proinde his ſuperſedeo, illud tantummodò commotans, hoc Chriſtum his particularibus velle declarare circumſtantijs quod de cunctis prouiderit neceſſarijs, vt vineæ fructibus, vuiſque potiretur: nihil ei defuit ex ijs, quæ vineæ quis congrua eſſe indicaret.

In c. 6. l. 3. Reg.
In c. 6. l. 3. Reg. qu. 10.
Mich. 4. 8.
Hebræ. 10.

Hæc impleta eſſe conſpicimus in Dei Eccleſia, cui Deus quæcumque eſſe poſſent neceſſaria abundè ſuppeditauit, vt fideles, eius vineæ palmites bonorum operum fructus producerent vberiores. Vnico verbo hæc omnia Apoſtolus: *Præſtitit omnia abundè.* Nota illud (*omnia*) videtur reminiſci ſermonis illius quo Dauid animam ſuam ad Dei laudes celebrandas hortabatur; & è re noſtra eſſet, vt ego, voſque mecum frequenter Prophetam imitaremur. Dei ſibi præſtita recolit beneficia, donaque perpendit gratuita, vnde & animam ſuam omneſque ad gratiarum excitat actionem: *Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me ſunt nomini ſancto eius. Benedic, &c. & noli obliuiſci omnes retributiones eius.* (Quæ quæſo, ſunt hæc beneficia?) *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus.* Notat Genebrardus iuxta phraſim Hebraicã idẽ eſſe ac ſi diceret: cingit te miſericordijs: recordatur enim Dauid illius temporis, quo Saul exercitibus ſuis eum vndique circum vallaret, cingeretque profugum *in modum coronæ*: ſignificat autem ſe omni ex parte ab hoſtibus circumuentum, ad dexteram, ad ſiniſtram, ante & retro vndequaque concluſum. Nec minùs, anima mea, miſerijs te vndequaque circumſeptam ingemuiſti, ſed Deo bene-

1. Tim. 6. 17.
II. Dauid Deo benedicit ob accepta beneficia.
In pſ. 102.
1. Reg. 23. 26.

benedic, qui te miſericordijs & miſerationibus
vndequaq; circũ ingit: *Coronat te in miſericordia.*

III. Homo circumdatus infirmitate.

Hebr.5.2.

Deſcribit hominẽ Apoſtolus: *Ipſe circumdatus
eſt infirmitate*, miſerijs, calamitatibus. Hominem
circumſpice à capite ad calcem, à die natiuitatis,
vſque ad diem mortis, totum miſerijs cernes, ſtu-
pebiſque circumdatum. Natiuitatẽ intuere, multis
periculis, ſordibus, inopia, lacrymis extrema lan-
guidam nuditate, & quaſi qui teſtimoniũ perhi-
bet earum, quas patietur calamitatum (vt notat

L.21. de Ciuit.c.14.

Sap.7.3.

D. Aug.) primum quòd agit omnium, quo & dat
vitæ ſignum, quid eſt, niſi lacrymas fundere, licet
inter purpuram byſſumque natus excipiatur: *Pri-
mam vocem ſimilem omnibus emiſi plorans, &c. Ne-
mo enim ex regibus aliud habuit natiuitatis ini-
tium*, dixit ille quo mundus non vidit potentio-
rem. Ilico tanta aperitur eius infirmitas, vt pedi-
bus nequeat conſiſtere, ſed brachijs ſit ſuſtentan-
dus aliorum. Statim fame laborat, quæ neceſſita-
tem clamat, qua quotidiano indigeat alimento:
hanc ſequuntur morbi, verbera, laquei vſque ad
mortem, in qua miſerum hominem timores ex-
tremi, pœnæ, dolores, anguſtiæ circumcingunt;
vt Dauid, quo declararet, quàm his oppreſſus ia-
ceret, dixerit: *Circumdederunt me dolores mortis*. Ia

Pſ.17.5.

vt ſic vndique miſerijs obuoluatur, vt ille ſcopũ
attigerit, qui ait: *Homo natus de muliere, breui vi-
uens tempore repletur multis miſerijs.* Si verò illis

Iob c.14.2.

quoad corporis cõſtitutionẽ repleatur, multò ma-
gis quoad animæ conditionem. Primò namque
conceptionis inſtanti, peccato polluitur origina-
li, principio, ac malorum omnium mortiſque ſca-
turigine, quorum caput eſt, iræ naſci filium, Dei
inimicum, diaboli mancipium. Natus in mundo
miſerijs obruitur infinitis, in intellectu cœcitate,
in voluntate debilitate, in iraſcibili potentia liber-
rima diſſolutione, in concupiſcibili, intemperan-
tia. Viuens tot circumdatur infirmitatibus, quot
peccata eſſe numerantur, in quæ ad ſingula pro-
ruit momenta, quorum Dauid numerum eſſe cen-

Pſal.39.13.

ſet innumerum: *Circumdederunt me mala, quorum
non eſt numerus, &c. multiplicata ſunt ſuper capil-
los capitis mei.*

☞ 30

IV. Deus nos coronat in miſericordia.

Anima mea, monet Dauid, benedic Deo, illi
gratiarum laudes perſolue, quòd ſi miſerijs vnde-
quaque circumcingeris, ne fleueris: *Coronat te in
miſericordia & miſerationibus.* Si cum peccato
conciperis in matris vtero, baptiſmatis ſubrogat
Sacramentum, quo ſuper niuem mundus deal-
baris: ad natiuitatem aulæ ſuæ tibi deſtinat cu-
ſtodem Angelum, tutorem, protectorem: vt te cor-
roboret, Sacramentum inſtituit Confirmationis;
corporis ſui ac ſanguinis te ſaginat alimento, quo
nec ipſi cœlites, ne ipſe Deus fruuntur aut me-
liori aut fortiori. Tuis infirmitatibus, etiam mor-
talibus Sacramentum præparat pœnitentiæ reme-
dium omnibus præſentiſſimum. Ne mortis ango-
ſtijs vltra vires affligaris potentiſſimo te munit
extremæ vnctionis Sacramento, quæ te luctato-
rem vngat tantò expeditiorem, quanto ſunt peri-
cula manifeſtiora, hoſteſque irruunt fortiores.
Tibi ignoranti mittit prædicatores, doctores illu-
minat, tuis robur gratiæ miniſtrat infirmitatibus,
ne ſuccumbas, virtutes donaque tuis vincendis
apta paſſionibus. O Anima mea, quæ tibi contulit
Deus beneficia, quantum Deo deuincitis, Gratuito
tibi conceſſit eſſe, quod habes, & de quidem tale,
quo ſuperior omnibus, quæ ſub cœlo ſunt honora-
ris. Per vitam diſcreuit à lapidibus, per ſenſum ab
arboribus, ab animalibus ac terræ beſtijs per ani-
mam, per fidem ab infidelibus. Suam in te deſcri-
pſit imaginem, qua nobilior dignitate cœlos, ſo-
lem, lunam, ſtellas antecellis. Potentias adeo
præcellas infundit animæ, vt illis, Angelis ipſis
adæqueris, illas autem donis ditauit cæleſtibus,
intellectum fide, quâ vides, quòd nec oculi vide-
runt, nec aures audierunt, nec potuit cor homi-
nis imaginari; ſpe voluntatem, quâ ad æternas
Dei ſurſum aſcendis gloriæ diuitias, pariter &
charitate, qua ipſi Deo coniungeris, & vnus cum
eo ſis ſpiritus, fortitudine iraſcibilem temperan-
tia concupiſcibilem. Quibus autem auxit te mi-
ſericordiæ officijs planè cœleſtibus. Te deſidem
excitat, dormientem ſuſcitat, cadentem erigit, pu-
gnantem adiuuat, vincentem coronat, victum ſal-
uat, clamanti reſpondet, inuitanti aperit peccantem
expectat, ignoſcit pœnitenti.

V. Homo triplici[...] Augu[...] L. Medit. c.2[...] Soliloq.[...] Tom.[...]

Hoc à D. Auguſt. crebo repetitur: *Quando er-
raui, in viam reduxiſti me, quando ignoraui docui-
ſti me, quando peccaui, corripuiſti me, quando tri-
ſtis fui, conſolatus es me, quando deſperaui, confor-
taſti me, quando cecidi, erexiſti me, quando ſteti,
tenuiſti me, quando iui, deduxiſti me, quando dor-
miui, cuſtodiſti me: quando clamaui, exaudiſti me;
ſi pœniteo, parcis: ſi reuertor, ſuſcipis; cum differo,
praeſtolaris reuocas errantem: inuitas repugnantem:
exſpectas torpentem: amplexaris redeuntem. Doces
ignorantem, mœrentem mulces, à ruina ſuſcitas, poſt
lapſum reparas, petenti largiris, quærenti inueniris,
pulſanti aperiris: &c.*) Quanta Dei miſericordia.

1. Cor.[...] Epheſ.[...]

Dicat Apoſtolus: *Diuites facti eſtis in illo, ita vt
nihil vobis deſit in vlla gratia.* Dicat iterum: *Diui-
tias gratiæ ſuæ, quæ ſuperabundauit in nobis.*

Deut.8.

Apoſtolum meminiſſe conijcio orationis Moyſi
ad populum, quæ nobis iure conuenit potiori:
*Dominus Deus tuus introducet te in terram bonã,*

terram

*terram riuorum, aquarum & fontium, in cuius campis & montibus erumpunt fluuiorum abyſſi, &c. vbi abſque vlla penuria comedes panem tuum & rerum omnium abundantiâ perfrueris.* Papæ! quàm bellè depingit Eccleſiam, & quâ Deus illi ſuccurrat abundantia, remedia ſubminiſtret neceſſaria. Primùm: vocat illam terram bonam: *In terram bonam.* Quidquid in Eccleſiam Deus intulit bonū eſt, ſanctum eſt, vnde & Eccleſia dicitur ſancta, leges ſanctæ, ſancta Sacramenta, ſancta doctrina ceremoniæ ſanctæ. Terra fructifera, de qua fructus colliguntur copioſiſſimi: in illa quippè aquæ ſcaturiunt viuæ, riuorum ac fontium in abundantia: *Terram riuorum, aquarum & fontium.* Non turbidæ, non lutulentæ, quales eſſe deſcribit Hieremias, quales mundi dilectores infelices ſummo ſtudio requirebant, ex quibus ſerpentes, dracones aliaque venenata erumpebant animalia: quæ iudicamus diuitias, delicias, voluptates, mundi vanitates. ſed fontium, riuorumque aquas limpidiſſimas, doctrinam, gratiam, dona, fauores, cœleſtes, fontes in vitam æternam ſalientes. Hic ebulliunt Chriſti merita; ſanguis eius omni auro pretioſior, eius Sacramenta, prædicatores, confeſſores, Sacerdotes, fontes aquarum. Et hi quidem in campis planiſſimis, altis montibus, hoc eſt, ſi ſequi viam velis communem, ordinariam ac planam, vel ſi perfectionis aſſequi faſtigium, in omni denique ſtatu viuendi: *Dabitur pluuia ſemini tuo, vbicumque ſeminaueris.* Si ſtatum eligas coniugalem, ſi religioſum, ſi eccleſiaſticum, ſi morari in ſæculo, ſi ad ſolitudinem ſecedere.

*VI. Eccleſiæ ſolum iamque fecunditas.*

*Hierem. 2. 18.*

*Iſai c. 30. 23.*

☞ 31. Hæc autem regio adeò frugifera, vt in ea, *abſque vlla penuria comedas panem, & rerum omnium abundantia perfruaris.* Panis, qui pleno ore nomē meretur panis eſt ille cœleſtis: hunc obtinebis, nō cum menſura, ſicut manna, ſed in omni abundantia ac vbertate: quàm eo largiter frueris, quem ſemper habes paratum? *Replebuntur areæ frumento, & redundabunt torcularia veſtra vino, & oleo.* Plenè & ſuper plenè pane illo cœleſti areæ redundabunt, in qualibet Prouinciæ, in multis ciuitatibus, & locis: in qualibet ciuitate in multis Eccleſijs: in qualibet Eccleſia multis altaribus: in quolibet altari per diem ſæpiùs. O quæ tanta panis abundantia, numquam hoc ex Deo, repulſam paſſus, audies, in domo mea non eſt panis. Veneris, quotieſcumque libuerit, illum obtinebis, quinimo morienti peram implet viatoriam, illum tibi in viaticum adminiſtrans, vt addictiſſimus tibi amicus, qui nedum excipit te opiparè, dum domi ſuæ hoſpitaris, ſed inſuper & peram implet viatico, è domo recedenti. Hic *rerum omnium abundantia perfrueris.* Quidquid magnus ille pater habuit familias, totum impendit & ſuperimpendit vineæ ſibi dilectiſſimæ. Hinc exclamat Apoſtolus: *Omnia veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia ſiue futura; omnia enim veſtra ſunt.* Quidquid Deus habet, veſtrum eſt, omnia quippè tibi in tuam tradidit animæ ſalutem: terram, quæ te ſuſtinet, aquam quæ te refrigerat, aërem quo reſpiras, ignem quo caleſis, cœlos qui ſuas tibi depluunt influentias, ſolem qui te interdiu illuminat, lunam & ſtellas quæ noctu, Angelos cuſtodes, Apoſtolos doctores, martyres confortatores, Sacerdotes cum Deo reconciliatores, Confeſſarios, qui reum abſoluant, Sacramenta quæ tibi conferant gratiam, vitam cuius tempore merearis, mortem qua Deo perpetuo fruaris, ſanguinem quo laueris, panem quo nutriaris. Denique ſeipſum dedit & tibi, & fecit m: *Omnia bona nobis donauit.* Addam & illud, tibi ſeipſum tradidit, non vno modo, ſed pluribus: explicet hoc cygnus ille cœleſtis D. Thomas: *Se naſcens dedit ſocium, conueſcens in edulium, moriens in pretium, regnans dat in præmium.* Dicat modò nobiſcum expoſtulans: *Quid eſt quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei?*

*V. Iſai. ... Matth. 26. ...*

*Ioel c. 2. 24.*

*VII. Dei in nos liberalitas.*

*2. Cor. 3. 22.*

*Iſaiæ c. 54.*

Ex hac doctrina colligit D. Chryſ. genuinum ſenſum eorum quæ ſcripſit Apoſtolus: *Voluntariè peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hoſtia*, obſcuritatem habent hæc verba non modicam, ex quibus Hæretici Nouatiani auſam ſumpſerunt docendi, peccata viri Chriſtiani iam baptizati eſſe irremiſſibilia, nec vllum illis ad ſalutem ſupereſſe remedium. Error eſt peſtilentialis, cui vt ſatisfaceret, non fuit D. Chryſoſtomo hæc interpretari, dum egregia ſcribit ſuper eandem epiſtolam commentaria, ſed illis abſolutis, ac tota epiſtola delucidè expoſita, finitis ſuper eam homilijs, calamum reſumit, & nouam orditur ſuper prædicta verba Homiliam. Tandem concludit Apoſtolum declarare beneficia, quæ filius Dei aſſumpta humana natura factus homo, hominis in remedium contulit ampliſſima, hoc autem innuere; antiquis temporibus multa fuiſſe ſacrificia pro peccatis inſtituta, qualia, SS. Patres multa perpendunt; quædam in lege naturæ, quibus veteres illi patres ſub illa viuentes Deo litabant. Adam, Abel, Noë, Abraham, Iſaac, Iacob, &c. Illis autem alia ſucceſſere ſacrificia, & oblationes in lege ſcripta, ipſo dictante Deo diſpoſita, quorum multus erat numerus peccatis vt in remedium, ita & in expiationem; ſi non illud, adſit aliud, ſi non

*Hebr. c. 10. 26.*

*VIII. Difficilis locus Apoſtoli declaratur.*

non ſit agni, ſit vituli, ſi non de ouibus, fiat de turturibus, ſeu columbis, cum autem omnia ex ſe ſeu ex opere operato non ſufficerēt, fides præſtabat auxilium, in qua ſpes futuri fundabatur ſacrificij à Deo inſtituendi, & peragēdi, cum in noſtram ſalutem humanam aſſumeret naturam, tanti valoris ac meriti, vt in eo, quidquid Deus valet, aut habet, imò quidquid dare poſſet omnipotens comprehenderetur; carnem traderet ſuam, ſanguinem ſuum, ſua merita, nec non ſuam diuinam

IX. Hac Dei benignitate nō plus vltra.

perſonam. Tu verò perpende, num ex illis tibi lucrum reportes, ſalutemque animarum, quod ſi negligas, nihil vltra ſupereſt Deo aut dandum, aut peragendum, nec tibi quid in tuorum ſperes amplius remedium peccatorum; ſi hæc tibi minimè proſint, *Iam non relinquitur pro peccatis hoſtia.* Si hæc non ſanet medicina, ſi hoc te pretium non redimat, ſi iſto non emunderis ſanguine, ſi illa non te reſuſcitet ac viuificet hoſtia, non eſt quòd ſperes aliam, quæ pluris valeat, quæ maiora poſſit, quæ efficaciùs operetur: in illa namque & cum illa, tibi conſignat Deus, quidquid habet, quidquid poteſt liberaliſſimus: hiſque datis, verè ait: *Non plus vltra.*

O ter maximè Iſaac, quàm verè in crucem ſublatus, omni pro me profuſo ſanguine, ipsâ quoque vita tua tradita, me interrogans alloqueris: *Et tibi poſt hæc fili mi, vltra quid faciam? Non plus vltra.* Domine, proinde in tuæ crucis, ac columnæ illius inſignibus, aptiùs quàm in Herculis olim columnis illud conueniret diſtichon: *Non plus vltra.* Non hæc veſtris, licet inſulpere, qui tam parum facitis, vt illi verè dicere non poſſitis: *Quid vltra potui facere?* Mundo eiuſque obſequio hoc ſub fidei iuſſione dicere poteſtis, carni veſtræ pro eius delicijs iureiurando confirmare, veſtræ auaræ cupiditati fidem facere: *Quid vltra potui facere & non feci?* At ipſi Deo nequaquam: quia tantum tibi ſupereſt peragendum, vt vix aliquid in eius impenderis obſequium. Si D. Paulus, qui tot percurrerat itinera, qui tantùm in Dei famulatu profecerat, ſibi *plus vltra* remanſiſſe perſuaſerit, vt ea perpendens, quæ facere poterat, dicat, plura ſibi præſtāda quàm præſtita remanere, ad quæ ſolummodo animum vireſque protendebat: *Quæ retro ſunt obliuiſcens, ad ea quæ ſunt priora extendens meipſum.* &c. Quàm foret conſultum, & rationi conſentaneum, vt fatereris, te ad tam paucos eoſque tam anguſtos paſſus pro Dei gloria proceſſiſſe, fide ſecura hæc tuis inſculpito ſcutis domuſque inſignibus. *Plus vltra.*

Gen. 27. 37.

Philipp. cap. 3. 13.

§. 12. Sepem circumdedit. *Indicat quoque ſepes diuina beneficia, & diabolus eſſe conſetur, qui illa ſeptus, offendit Deum.*

EX prædictis ſequitur, quòd licet, vt paulò ſuperiùs egimus, per ſepem, qua paterfamilias hanc circumdedit vineam, lex diuina intelligatur; nihilominus & illorum nobis probatur ſententia, qui per maceriam beneficia, dona, & miſericordias intelligunt, quibus omni ex parte nos Deus coronat ac circumcingit, iuxta præfatum Dauidis modum cum anima ſua loquendi: *Qui coronat te in miſericordia, & miſerationibus*, & congruè declaratur ex colloquio Dei cum diabolo. Adeſt Satan coram Deo, cui Dominus, *Vnde venis?* reſpondet: *Circuiui terram & perambulaui eam*, tamquam domum & poſſeſſionem meam: tota enim, & quidquid in ea eſt, ad me pertinet. An omnia tua ſunt? Nequaquam, inquit Deus, mihi eſt in terra aliquid, quod maximi facio, nempè Iob, hic ſeruus meus, hic mihi in omne paratus obſequium: *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra, homo ſimplex & rectus, & timens Deum, & recedens a malo.* Rideo iſta Domine, quid hoc tanti, quòd tibi ſeruiat homo? quemque tantis bonis circumdediſti? *Nonne tu vallaſti eum, ac domum eius, vniuerſamque ſubſtantiam?* quocumque ſe vertit, & quibus applicat manum, non niſi occurrunt illi tua beneficia, quibus eum benignus coronaſti; adiecifti bona, boues, oues, camelos, aſinos, familiam illuſtrem, ſeruos & ancillas; hîc filijs occurrit aurea pinu venuſtioribus; hîc filiabus circumornatis vt ſimilitudo tēpli, quā fieri poteſt, vt te malè gratus offendat? tuæ repugnet voluntati, in te peccet, qui ſe gaudet tam excelſa beneficiorum ſepe circumuallatum? quis credat tam altam tranſiliat maceriam? *Nonne tu vallaſti eum, ac domum eius, vniuerſamque ſubſtantiam per circuitum?*

Pſal. 102. [partly cut]

Iob cap. 1. [partly cut]

I. Ingratus Dei beneficijs, diabolus eſt.

Si naſo dæmonem apprehendas: & ais adeſto fœdifrage, tibi ipſi idem ille Dominus nonne aliam longè ſublimiorē beneficiorum, donorumq; circumdedit maceriam? Audi tibi hoc improperantem Prophetam Ezechielem: *In delicijs paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentum tuum, ſardius,* &c. Te quoque deſcribit vt arborem Paradiſi quauis alia pulchriorem, aquis circumfuſam, & velut eminentiſſimum Principem, lapidibus, gemmiſque pretioſiſſimis exornatum: *Omnis lapis pretioſus operimentum tuum.* Qui fieri po-

Ezech. 28. 13.

ri potuit:vt illud tranſgredere ſepimentum, tantamque donorum immemor illum offenderes? Reſpondebit tibi: Cedo veritati, verum diabolus ego ſum, & tantùm, qui talis eſt, vel cuique dæmonis eſt animus, hanc paruipendens ſepem, illum poteſt ingratus offendere, qui tali illum honorauit, cinxitque ſepimento. Iob homo eſt, & cenſetur impoſſibile, vt talia temerarius agat, cui cor & animus eſt hominis. Et verè manifeſtum eſt, à patre mendacij probari veritatem, in numerum magis dæmonum eſſe referendum, quàm hominis Chriſtiani, qui tanta donorum corona cinctus, tanto iniurius arguitur eſſe benefactori.

Ita ſibi credebat Ioſeph eſſe impoſſibile, Domino ſuo Putiphari eſſe ſe iniurioſum, eò quòd ſe ab eo beneficijs perpenderet eſſe coronatum; qui eius poteſtati ac diſpoſitioni, quidquid habebat domi, confidiſſet. Proinde ab vxore Domini ſui ad ſtuprum prouocatus, optimè reſpondit: *Quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Non ait: *non debeo, non eſt iuſtum,* ſed *non poſſum: quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum,* hominis cor erat ei, non dæmonis animus, vnde nec ei aderat animus tantam beneficiorum, gratiarum, donorumque ſepem tranſiliendi, Veruntamen quàm eſt illa ſepes ſublimior, quâ te Deus circumdedit? quanto ſunt hæc beneficia potiora? Non hominis eſt, at dæmonis tantum irritare benefactorem; quinimò ea de cauſa Chriſtus appellat Iudam, diabolum: *Ex vobis vnus diabolus eſt,* diabolus enim cor eius poſſederat, teſte D. Luca: *Qui cognominabatur Iſcariotes. Intrauerat autem Satanas in Iudam, vnum de duodecim:* de illo enim qui malitia minor eſt diabolo, tanta non poſſe videtur præſumi, nequitia, vt ingratus in tantum arma ſumat, exurgatque largitorem. O mortales, hæccine de vobis dixero, tantis beneficijs, vos tantis correſpondere ſceleribus. Credamne poſſibile, quòd furſum erigere poſſis brachium, quo Deum audax prouoces qui ſemper extentum habet brachium, quo te ab hoſte defendat, quo te donis cumulet infinitis? Audiamus ergo conſulentem D. Chryſoſt. etenim opinatur, expendens ſupradicta verba Ioſeph, quod illa præ oculis habens, nullo poteris labore quaſlibet diaboli ſuperare tentationes: *Igitur quando nos cogitatio perturbat, hoc mente verſemus verbum, Quomodo faciam hoc malum? &c. Et ſtatim effugiet omnis illicita concupiſcentia.* Verùm cum alias de his me credam egiſſe, modò ſuperſedeo.

Gen.39.9.

II. Cur Chriſtus Iudã vocet diabolũ.

Ioan.6. 21.

Luc.22. 71.

D.Chr. Hom.62. in Geneſ. ad finem. Tom.1.

## §. 13. Locauit agricolis. *Sunt Prælati agricolæ, & quiſque in ſe, ſimul & palmes eſt & agricola.*

Diſpoſita iam vinea ex parte Domini, neceſſarijs adiectis, & ad eam ſtatus ordiniſque 33
perfectionem, vt diximus, promota: *Locauit eam agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* Agricolæ ſenſu quodam ſingulari, quem ſequuntur Origenes, D. Chryſoſt. D. Hilarius, Sacerdotes, Præpoſitos & Principes Synagogæ deſignant, quibus Dominus populi huius curam impoſuit, vt illum regerent, docerent, ac eo modo colerent, vt virtutum fructus, ac bonorum operis bottos ad Dei proferret obſequium; cum illis enim Chriſtus loquebatur, ad illos hæc parabola dirigebatur, erantque ipſi, qui conſilium de occidendo Chriſtum inierunt vt perduelles illi agricolæ, quo Domini ſui vnicum heredem enecarent. Inſolitum non eſt Eccleſiæ præſules, agricolarum nomine recenſeri, non enim eorum eſt officium otioſos degere, ſed operari ſemperque ſarculũ præ manibus habere: *In ſudore vultus tui,* illam occando terram zizania eruendo, bonis ſuis moribus colendo, doctrina ac virtutibus ſeminando. Sunt Eccleſiæ Præſides operarij & vineæ Domini procuratores, quibus vineam ſuam vnicè cõmendauit. O quæ non illis incumbit ſollicitudo! Multas exponit D. Bern. cõtra Epiſcopos deſides grauiſſimas querelas. O quam de temporalibus opibus anxij: *Quid Epiſcopo turpius, quàm incumbere ſupellectili, & ſubſtantiolæ ſuæ, ſcrutari omnia, ſciſcitari de ſingulis, mordeti ſuſpicionibus, moueri ad quæcumq; perdita, vel neglecta, non ſic ille Ægyptius, qui Ioſepho omnibus traditis, ignorabat quid habebat in domo ſua. Erubeſcat Chriſtianus Chriſtiano ſua non credens. Homo ſine fide, tantum habuit ſeruo ſuper omnia bona ſua conſtituens eum, & hic erat alienigena. Mira res! ſatis ſuperq; ad manus habent, Epiſcopi, quibus animas credant, & cui committant facultates nõ inueniũt. Optimi videlicet æſtimatores rerum, qui magnam de minimis, paruã aut nullam de maximis curam gerunt, ſed vt liquido datur intelligi, patentius ferimus Chriſti iacturam, quam noſtram. Quotidianas expenſas quotidiano reciprocamus ſcrutinio, & continua Dominici gregis detrimenta neſcimus, de pretio eſcarum, & numero panum cum miniſtris quotidiana diſcuſſio eſt, Rara admodum cum presbyteris celebratur collatio de peccatis populorum; Cadit aſina, & eſt, qui ſoluat eam, perit anima, & nemo qui reputat.* (Quid igitur mirum ſi tu tui non recorderis.)

Gen.3.17.

I. D. Bern. peruerſiam Epiſcoporum deplorat ſollicitudinem. Lib.4. conſid. ad Eug. c.9.

Nec

*Nec mirum, cum nec noſtros quidem aſſiduos ſentiamus defectus.*

Conſecrauerat in Epiſcopum Apoſtolus diſcipulum ſuum Timotheum quem ſic ſeriò commonet. Attende quòd te creauerim operarium, & vt talis primus ſis oportet, qui de cunctis horti arboribus fructus percipias, vt ex ipſa experientia, eorum poſſis dare rationem: *Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere.* (2. Timot. 2. 6.) Expende quo nomine compellet Epiſcopum, quem nedum dicit agricolam, ſed *laborantem agricolam.* Tibi competit arborum fructus primum percipere; virtutum inquam, quas in Domini vinea plantaſti, ſi abſtinentiam, tu primus ſis abſtemius, ſi caſtitatem tu primus eius noueris exercitia, ſi iniuriarum remiſſionem, tu præ cæteris, condones vt de guſtu ritè prædices, quem cuiuſuis fructus præfert arboris. En liquidò patet, quid ſit conſecrare Præſulem, Prælatum, Epiſcopum aut Archiepiſcopum. En in confeſſo eſt, quid ſit in domo tua patrem eſſe, & in ſtatu Dominum, & in Republica gubernatorem, nimirum in operibus bonis eſſe anteſignanum, vt in illa deguſtans cæteris operandi perſuadeas appetitum. Hoc eſt eſſe Præſulem, eſſe operarium, perpetuo vacare labori.

II. Sit Epiſcopus agricola operarius.

Operarij à Chriſto vocantur: *Rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam.* (Luc. 10. 2.) Operarij fabulatores ſat multi; rogate vt mittat operatores. Hinc conſtat illa communis Apoſtoli formula, vocandi Epiſcopos, operarios: *Cura te ipſum exhibere operarium inconfuſibilem*, præcipit illos ſummo loco haberi: *Propter opus eorum*, non propter verba, non propter ſtemma nobilius, ſed propter opera eorum: illi etenim par eſt, ſemper adlaborent vt operarij, zizania ſtudeant eruere, tribulos & ſpinas extirpare, bonum ſemen virtutum doctrinæque ſeminare, ſollicitam cuiuſque herbæ curam gerere, & hoc agere, quòd ab ipſis idem expoſcebat: *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos, &c.* (2. Timot. 2. 5. & 1. Theſſal. 5. 13. — Actor. 20. 28.)

III. Nos omnes agricolæ ſumus.

Attamen in ſenſu magis generali, quem Chriſtus ad finem indicat parabolæ vbi cunctos perſtringit Iudæos, prædicens mulctandos omnes, ac de vinea eliminandos; omnibus apertè conſtat, agricolas nos quoque deſignari, me, te: & quotquot ad Eccleſiam conuenimus, interpres eſt D. Ambroſ. An ergo non ais, nos eſſe vineæ palmites? Dixi, quia hæc ambo te eſſe conuenit, palmitem, qui fructum proferat, & agricolam, qui tu ſedulus curam habeas, & fructum proferas, tu ille ſis, à quo fructus exquirentur. Hoc accuratè declarat Spiritus S. dum ait; *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilij ſui.* (Eccli. 15. 14.) Teipſum igitur, tibi ipſi commendauit, vt tui ipſius curam gereres, tu Paſtor qui cuſtodis, tu ouis cuſtodita, tu vinea & palmes frugifer, & operarius, qui colit vineam.

Produco vobis Moyſen, ex cuius Doctrina D. Baſil. & D. Ambroſ. opinantur philoſophos doctrinæ ſuæ profundioris hauſiſſe fundamenta; Monet igitur Iſraelem: *Cuſtodi te ipſum & animam tuam ſollicitè.* Duo tibi adſcribit Chriſtus epitheta; operarij & procuratoris, quibus ſic vt nemo melius officium exprimit Chriſtiani. En tibi chariſſimè, prius oportet eſſe operarium.

IV.

Iudicio diceretur laborare operarius ille, qui nobilem agere vellet, inter purpuram & byſſum otiari, in vndecimam matutinam ſtertere, quando iam à curſu ſuo ſol defatigatus declinat, manè manus ſapone illinere, pecten capillis diſtringendis aſſumere, caligas induere curioſas (a) veſtes euertere penicillo. Attendite Chriſtiani, operarios vos eſſe, nec otium nec delicias vos decere, perpetuis vobis conuenit intendere laboribus. Animam agebat D. Martinus Epiſcopus, molliorem morituro ſternunt lectũ: Minimè gentium, inquit, filioli: *Non decet Chriſtianum, niſi in cinere mori: & ſi ego aliud exemplum dedi, ipſe peccaui.* Sic Seuerus Sulpit. in vita S. Martini. Nemo dubitat; *Homo naſcitur ad laborem*, vt in ſudore vultus ſui, & animæ anguſtia veſcatur pane ſuo. Agricola continuò colendæ terræ inſudat, modò ſarculo glebas diſtringit, modò ſulcat aratro, modò paſtinat, occat modò, deſes nunquam, ſi fructus intendat; Sæpè nihilominus in terra diligentiùs exulta ſpinæ, quæ carnem pungunt enaſcuntur. Hoc tui eſt muneris occare, paſtinare, proſcindere carnis tuæ tellurem ieiunijs, caſtigationibus, pœnitentia, terram illam maledictam, quæ grauiter licet aratro diſciſſa, tribulos tamen malorum germinat motuum. Quàm gnauus, quàm indefeſſus operarius D. Paulus, quanto ſudore terram, corpus ſuum, excolebat; *Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo*, ſic ipſe de ſe teſtatur. (1. Cor. c. 9. 27.) Et dum minus ſuſpicatur, en ſpinæ, tribuli, zizania in medio tritici; de quibus ſic eum audio conquerentem: *Video aliam legem in membris meis &c. captiuantem me in lege peccati.* Quid tibi timendum, qui nihil noſti aliud, prætèrquam pinguem & nitidam curare cuticulam? quid ſtupes attonitus te talem eſſe, qualis ſis, te tantis expungi ſtimulis, inhoneſtis carnis agitari motibus, inordinatis concuti deſiderijs, *quæ*, teſte D. Petro *Militant aduerſus animam.*

(a) Caſ…

**§.14.** *Domini eſt vinea, procurator homo, qui qui fructum adferre tenetur, non Domino, ſed ſibi ipſi.*

14 I. Variæ rationes propoſitæ, cur homo nõ ſit Dominus vineæ ſed procurator.

SEcundò: Procurator vineæ diceris, non Dominus abſolutus. Modò videamus: cur illis vineam non dediſti in perpetuum? Nonne ipſa tua liberalitas, de quo tuus teſtatur Apoſtolus: *Dat omnia abundè ad fruendum.* (1.Tim,6,17.) & alius, *Dat omnibus affluenter & non improperat.* (Iacob 1.5.) Multæ offeruntur rationes. Prima ſit: vt nobis liqueat, quanti Dominus vineam faciat, quo loco eam ponat, & quantum cordi eius capiat perditionem, cum ſemper Domini maneat: ipſe namque dicitur illam plantaſſe, coluiſſe, putaſſe, ſepe circumdediſſe, neceſſaria miniſtraſſe. Ad rem congruit illa ratio, quam Dominus vati ſuo Ionæ propoſuit, querenti, imo vſque ad mortem iraſcenti, quòd Niniuitas eorumque non exterminaſſet ciuitatem, cui mortis decretum vates annunciarat, quòd infra quadraginta dies ſolò tenus euerteretur. Rei euentus exſpectat Propheta non longè ab vrbe reſidens ad vmbram iuniperi, quæ eum ab æſtuantis ſolis protegebat radijs: quia verò iuxta conſtitutos præfatoſque dies, vrbs minimè funditus corruebat, cum Deo expoſtulat, vt cras latius. Præcipit Deus, vt eadem nocte vermiculus radices hederæ corroderet, quo factum eſt vt continuò areſceret, ortuſque ſol caput offenderet Prophetæ, quo rurſum irritatus in acerbiores ſeſe effundit querimonias. Quid hoc rei Domine, an tibi parum eſt decretam non impleſſe ſententiam, quam me præcone nefarijs proclamaſti Niniuitis: nonne me omnes vt vatem irridebunt mendacem & vaniloquum? inſuper & hederam mihi adeo gratam corrodente vermiculo diſſipaſti? Apparet illi Dominus, quid hoc amice? Tantine apud te eſt hedera, vt eius ruina tuam affligat animam? Vtique Domine, & iuſtè quidem: *Bene iraſcor ego, vſque ad mortem.* (Ionæ c.4.9.) Vix mihi tempero, quin mihi manus inijciam violentas: hederam num tu plantaſti? num rigaſti? num aluiſti? Nequaquam Domine, verum me recreabat. Si tantum igitur te moueat vnius plantæ infrugiferæ hederæ inquam iactura, nec à te plantatæ, nec cultæ, nec irrigatæ, te, nec eius Dominum, qui nec vllo tuo labore illam redemeris, quàm hic creſcentem caſu reperiſti, fer ſententiam, eſto iudex, an non æquum ſit, me tantarum commoueri ruina plantarum, quibus abundat Niniue, palmitum quos omnipotens mea dextera coluit, cuius ego perpetuã ago ſollicitudinem; & quos tanti fecerim, vt cuique gloriæ meæ cuſtodem deputauerim Angelum, ad quorum vberiorem prouentum, quicquid in me erat ſtudij, contuli, ſummamque expendi capitalem: *Tu doles ſuper hederam in qua non laboraſti, neque feciſti vt creſceret, &c. Et ego non parcam Niniue, ciuitati magnæ, in qua ſunt pluſquam centum viginti millia hominum, &c.?*

Domine mi quam ad amuſſim (a) rationem hanc expediret enucleare: quanti ad te ſit huius vineæ palmes vnica anima, cum illam nedum creaueris excolueris, foderis, ſtercoraueris verùm & ad eius ſalutem imbrem effuderis, proprium ſanguinem, ipſam tuã dederis vitam, vt pluris vineæ huius vitam, & animã meã, quã propriam tuam facere videaris. Vt ex cenſura D.Augu. *Dilexiſti me Domine pluſquam te: quia mori voluiſti pro me.* O quale hoc fundamentum cui ſubnixus! ô Chriſtiane, coram Saluatore cruci confixo tuas potes deferre preces teipſum velut vineæ ſuæ ſuum palmitem offerendo, quem tanto emit labore, pro quo & clauis configitur probroſo ſtipite pendulus, vt tibi ſanguinis ſui pretioſiſſimi rore ſalutem, vitamque largiretur, quam ad perpendiculum huc dirigetur: *Te ergo quæſumus tuis famulis ſubueni, quos pretioſo ſanguine redemiſti.* Hunc illi verſiculum exponito:

(a) Subir de punto.

D.Aug. Lib.Solil. c.13.To.9.

*Quærens me ſediſti laſſus*
*Redemiſti crucem paſſus,*
*Tantus labor non ſit caſſus,*

Quiſque ſua curat, adminiſtrat tractatque negotia, ſuis ipſe prouidet rationibus, & contra maleuolos bona ſua defendit acerrimus. Quo loco eſt apud te, precor, vinea tua (attende quanti ſuam fecerit Naboth) domus tua, pecunia tua, filius tuus, quia tibi hæc ſunt propria? Ea igitur de cauſa vult ſibi Deus vineæ ſeruare dominium, vt ex illo demonſtret, quanti illam ducat, eiuſque doleat perditionem: quodque qui illius vel pampinum læſerit, cordis ſui intima perfodiat: Et ſi vates animo languerit, ob areſactam hederam, incanduerit rodenti illam vermiculo, cuius nec ipſe erat Dominus, quam nec ſeuerat, nec inſuderat, quàm non moleſtè laturum credimus Deum, dum peccati vermem aduertit radicem, id eſt cor erodere palmitis, quo confeſtim areſcit moriturque vinea?

Secundam propono rationem, cur te Deus 2.
vineæ non creauerit Dominum ſed procurato- 35
rem





UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

rem. Nimirum vt tibi perſuadeat, fructum non
tibi, ſed Domino ſeruari debere primarium.
Qui vineam vt procurator capit miniſtrandam,
de fructibus quidem percipit, at eorum præ-
cipuos ſeu partem principaliorem defert Do-
mino, ita vt ambobus ſit prouentus fructuoſus.
Chriſtiane, Dei te vocant procuratorem. An
tibi ſunt diuitiæ? tibi ſint & Deo in paupere
diuiſim. Valetudine gaudes proſpera? ne tibi ſo-
li ſeruiat, ne tuis tantummodo rebus eam im-
penderis, Dei quoque conueniat obſequio. Vi-
ta viuis? viue tibi, viue Deo: non enim te Do-
minum ſed ſuum voluit eſſe quæſtuarium, vt
illi vindemiam conſignes. Rem miramur: Deũ
adeo noſtrorum fructuum eſſe cupidum, vt
quidquid habet, his impendat, & ex ſeipſo to-
tum ad eam dirigat intentionem. Quid tibi cœ-
lorum, vbique Domine conferre poſſunt vti-
litatis opera manuum hominum, liberè verèque
dicero etiam Seraphinorum? Eorum ſupremus
Pſ. 15.2. dicere poteſt: *Bonorum meorum non eges.* Audire
delectat, quid de hoc ſubtiliter dicat Spiritus
Eccli. 18. S. Fatta quaſi præſuppoſition ſic orditur: *Qui
viuit in æternum, creauit omnia ſimul, Dominus
ſolus iuſtificabitur.* Hoc aduerbium *Simul* con-
nectunt alij verbo *Creauit* q. d. creauit Deus ſi-
mul: Ita ſæpius D. Auguſtin. alij vero nomini,
*omnia* q. d. creauit omnia æqualiter, ſicut hæc,
ita & illa ita vt nihil ſit, quod ille qui viuit in
æternum, non creauerit in tempore. Si per-
cuncteris: qualis erat ergo Dominus ante mun-
di rerumque creationem? Si ſol non lucebat, in
tenebris ſedebat, ſi locus non erat, vbi e-
rat? Si creaturæ non erant, eratne ſolitarius?
Ipſe reſpondet: in ſeipſo erat, ſecum erat,
nihilominus, nihil illi deerat, in diuina nam-
que eſſentiâ, bonum omne, omnis perfectio, &
quidquid eſſe aut habet aut habere poteſt, con-
netur. Hoc quippe eſt quod adiungit. *Domi-
nus ſolus iuſtificabitur.* Dicitur quid eſſe iuſtum,
quando nihil illi deeſt. Dum Deus ſecum eſſet,
nihil illi deerat, ſed nec deeſſe poterat, & ſicut
ſine creaturis fuit ab æterno, ſic ſemper ſine illis
eſſe poterat.

Si hæc ita ſint, vt quid Domine hominem
creaſti? In quibus hominis indiges operâ? cui ti-
Eccli. 18.7 bi neceſſarius? *Quid eſt homo, & quæ gratia il-
lius? quod bonum eius, aut quod nequam eius.* Græ-
ci legunt: *Quid eſt homo, aut quis vſus eius?* Si
Deus hominis non indiget operâ, in quem fi-
nem creauit illum? Num in ſui beneficium ex-
pendere vult hominis operam? Hoc ipſum Iob
Iob 22.3. obiecit amicus eius Eliphas Themanites: *Quid
prodeſt Deo, ſi iuſtus fueris, aut quid ei confers, ſi
immaculata fuerit via tua?* Itẽ alter Eliu: *Si pec-* Iob 35.6.
*caueris quid ei nocebis? Si iuſte egeris, quid donabis
ei? Hominis qui ſimilis tui eſt, nocebit iniquitas tua,
& filium hominis adiuuabit iuſtitia tua.* Quid
Deo obfueris, ſi in omnia crimina lapſus cor-
rueris quæ in imaginationem cadant; quid illi
tribueris, ſi quælibet ſolus bona virtutum ope-
ra præſtiteris? Hæc eſt diuina erga nos miſeri-
cordia; fructum non expoſcit, quaſi eum velit
ſibi, ſed nobis. Vult diuites, & abundare, proinde
amat nos fructum adferre plurimum, ad eorum
commodum.

Diuina & non niſi à Deo fuere illa verba
Moyſi poſt enumeratum omnium beneficio-
rum, quæ populo præſtiterat, catalogum: *Et
nunc Iſrael, quid Dominus Deus tuus petit à te,
niſi vt timeas Dominum Deum tuum, & ambu-
les in vijs eius & diligas eum &c. vt bene ſit tibi.*
Viden' eius in iis quæ à te expoſcit, intentio-
nem? *Vt bene ſit tibi.* Petit eleemoſynam, cur? *Vt
bene ſit tibi*, pœnitentiæ poſtulat opera, cur? *Vt
bene ſit tibi*: rogat vt inhoneſtam manu mittas
puellam, cur hoc? *Vt bene ſit tibi?* flagitat vt iniu-
rias dimittas, cur? *Vt bene ſit tibi.* Quidquid illi
concedit, quidquid illi largiris, omnia vult: *Vt
bene ſit tibi.* Notandum occurrit quod Domi-
nus ait in parabola de quinque talentis. Vni de-
dit quinque, alteri duo, tertio vnum tantum, qui
quinque acceperat, lucratus eſt alia quinque &
qui duo, lucratus eſt ſimiliter alia duo. Addu-
citur ille qui vnum acceperat, & ob non repor-
tatum lucrum, ait Dominus: *Auferte ab eo mnã,* Luc. 19.
*& date ei, qui decem mnas habet.* Replicant, Do-
mine habet decem mnas. Parcat mihi Deus non
lego Dominum ſeruo decem talenta tradidiſſe,
ſed aut vnum, aut duo, aut quinque, quis eſt
ille decem talentis diues? Ille cui quinque de-
derat: quomodo ergo habebat decem? Quia
priora illa quinque ipſi remanſerant, quibus
& alia quinque ſunt illi à Domino ſuperaddi-
ta. Eo modo omnia illi ceſſerunt; priora quin-
que, quæ ad fœnus receperat, ac poſteriora quin-
que quæ ſuper lucratus fuerat, nullatenus ergo
recepit Dominus priora quinque talenta? Vt
quid igitur adeo ſollicitus vt ſerui ex talentis
ſuis lucrarentur, ſi ne vel minimum ex lucro
ſibi vellet vſurpare, nec quidem ſummã repete-
re capitalem, quam ad fœnus mutuauerat? Vt
certo tibi conſtet, quid Deus prætendat, quando
te lucrari vult, quòd ſibi ſcilicet non quærat
lucrum, ſed totum tibi velit remaneat, tu illo
diteſcas, nec id ſolum, quod per eius dona tibi
acce-

accreſcit, ſed & ipſa dona, quæ tibi liberalis erogauit, lucrum totum, & ſua dona commodo tuo cuncta proficiant.

Nos igitur magnus ille Dominus omnes optat diuites, & fructibus nos gaudet gaudere quàm plurimis. Ex altera verò parte nouit ipſe, nullos nobis profuturos, niſi quos illi obtulerimus, & in eius fecerimus nominis ac laudis obſequium. Quidquid mundo detuleris, perit, quidquid carnis tuæ delicijs impenderis, perditur. Quidquid inſumpſeris libidini, luſibus, & ijs quæ mundo continentur euaneſcit, hoc tuæ tantummodo cedet vtilitati; quod diuinæ libens obtuleris, dederiſque maieſtati. Teſtes illos aduoco, qui libera manu cuncta ſua mundo, delicijs carnique conſecrarunt, quid aiunt?

Sap.5.8.

*Quid nobis profuit ſuperbia, aut diuitiarum iactantia, quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra.* Ne tranſeas: *Quid nobis profuit?* Quid inde nobis lucri, quid emolumenti ex ijs quæ concoximus, quæ detriuimus, quæ quo mundo placeremus, abſumpſimus? Loquatur nobis diues ille heſternus epulo, qui tanto id ſuo expertus eſt diſpendio; quid illi ex tantis reliquum epulis, compotationibus, delicijs, luſibus remanſit quo miſer ſolaretur; nec quidem aquæ guttula. Quod Deo ſacraueris, tibi remanet; ſic, ſic eſt, hoc recipit, vt non ſibi retineat, ſed vt idem tibi reſtituat, at melioratum, quo ſemper in cœlo diues perfruaris. Quàm bene hoc Apoſtolus intellexit: *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem*; hac de cauſa dies iudicij dies eſſe dicitur reſtitutionis. *Tempora reſtitutionis.* Hoc vnicum tibi retinebis, Chriſtiane, quod Dei manibus conſignaueris, illique tantummodo tibi proderunt labores, quos diuino nomini dedicaueris. De his fusè diximus in tractatibus: dum expendimus quòd manna domum delatum, modicum durabat, ac vermibus ſcatebat, at Deo in tabernaculo conſecratum, in multa ſeruabatur integrum ſæcula. Quadrat hic illud: *Reddet tibi*, de quo die Cinerum egimus. Ad hoc igitur à te Deus expoſcit fructus, vt illis in æternum viuas, nihil enim ibi largietur vnde viuas, quàm id quod hic illi dederis: *Fructus noſter*, concludat D. Auguſtin. *non facit illum ditiorem, ſed nos beatiores.*

III. Nulli nobis proſunt fructus niſi Deo oblati.

2.Tim.1. 12.

Act.3.21.

D.Aug. Serm. de verb. Domini.

## §. 15. Fructus temporibus ſuis. *Ab omnibus non pares repetit Deus fructus, vt ex decimis declarat, & illos noſtro repoſcit tempore.*

DE fructibus illis, inquit Euangeliſta, hoc voluerit: *Vt redderet fructum temporibus ſuis*, q. d. Hoc agricolis præceperat; vt fructus redderent conformes tempori. Primo Vere redderent pampinos, deinde omphacium, poſtmodum vuas ad comedendum maturas, poſtremò vinum, quod vuis expreſſis eliquatur, fructum temporibus ſuis. Non parem repetit Deus quouis tempore prouentum, nec in omni ætate, nec ab omnibus hominibus, nec tu quoque à vinea recentiori, illos quos à iam perfecta, nec de palmite duorum ſarmentorum, quod de longè lateque luxuriante, nec de illa, quam non infudiſti, nec fodiſti, quod de abundanter rigata, & omni culta ſtudio, nec in Maio quod in Septembri. Similiter nec Deus expoſcit à puero impube, quòd à viro barbato; nec à ſæculari quod ab Eccleſiaſtico, nec à paupere, quod à diuite: iam enim dixerat Chriſtus: *Cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* 37

Luc.12. 48.

Notat hæc verba Diu. Cyrill. Alexandri. Cenſet autem ea ſpectare illud Domini præceptum: *Stabit coram Sacerdote, & quantum ille æſtimauerit, & viderit eum poſſe reddere, tantum dabit.* Hoc erat Dei ſtatutum, vt omnes tabernaculum frequentantes ſua Deo deferrent munera, vt ſuis per hæc ſatisfacerent obligationibus. Scirent attamen diſpares eſſe debere oblationes, ſicut erant, & diuerſi ſtatus hominum, ætates, officia, qualitates: non enim tantum à puero quinquenni repoſcebat, quantum ab adoleſcente viginti annorum, nec ab hoc, quantum à viro ætate perfecto, nec à ſene annis grauido, & labili, quod à iuuene viribus robuſto, nec de puella virgine ac tenella, quantum de coniuge liberis fœcunda; nec de ſeruo, quod à Domino. Sed hoc intendebat, ac præcipiebat, vt eſſet ſingulorum oblatio conformis ætati ſuæ, viribus, officio, medijs. Hoc autem tam ſtricto voluit iure ſeruari vt ſtatuerit, orto dubio, num munus reſponderet viribus opibus, qualitatibus offerentis, non hic iudex ferret ſententiam, ac diiudicaret; facile namque dolus irreperet, cum quis in ſui commodum definiret; ſed iudicio ſtaretur

Lib.16.de adorat.

Leuit.27. 8.

I. Fructus eſſe debent conformes cuiuſque conditioni.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Sacerdotis, qui iuſtâ trutinâ rem appenderet. Non enim Deus modicum acceptabat ab eo, qui multum poterat,& ille plura deferre debebat,qui à Deo plura receperat.

*Ser. 219. de temp.* Eodem modo explanat Diuus Auguſtinus latam à Deo legem de ſoluendis decimis, hæc namque, ſi quæ alia, crebro in ſacris litteris nobis occurrit: eſt enim proteſtatio, quâ confiteris, meſſem à te collectam diuinæ munus eſſe liberalitatis, ac proinde iuſtum cenſeri, vt gratus munera deferas largitori. Quapropter præceptum erat, ſingulis annis quiſque Deo referret partem fructuum quos collegerat, ac de manu diuinæ receperat beneficentiæ. Domine,quæ tibi grata ſufficient? An non expediret,quid paſſim omnibus notum deſignare,quo à ſingulis oblato, proteſtarentur te auctorem, ac collectæ meſſis, omniumque fructuum eſſe largitorem, nec variè ac inutiliter tot fierent tam ſtrictæ decimarum diuiſiones? Non equidem, at hoc iubet, vt quiſque decimam offerat partem collecti prouentus, quæ in Dei horrea recondatur: *Inferte omnem decimam in horreum meum.* (*Malach. 3. 10.*) Illo namque modo hoc quod iuſtum eſt ritè, debitéque perſoluitur, ſi qui meſſe lætatus eſt vberiori, decimationem quoque deferat copioſiorem eo qui minorem collegerat. Aduerto & aliud myſterium, quod hic SS. Patres annotarunt, ſingula verba imo & ipſos apices enucleantes, qui ſacratioribus catent myſteriis. Quam eſſe cauſam arbitraris, quærit D. Ambroſius inſtituendi collectarum frugum decimationem? cur non vel octauam vel nonam, vel partem ſoluunt duodecimam? Quia hic numerus ſignat perfectionem, qua multa eaque præclara nobis exponuntur.

*Tract. 42. de manſio. in proœm.*

II. Origo ſoluendi decimas.

*Lib. de Decalogo.* Tractatum edidit antiquus ille Philo, quo numerum hunc denarium oſtendit inter omnes numeros eſſe perfectiſſimum; quia continet in ſe vno omnes numeri differentias, pares & impares & omnes proportiones arithmeticas, geometricas & harmonicas, de quibus modò non eſt agendum, particulariter verò numeros complectitur ſimplices, ab vno vſque ad nouem; qui cæterorum habentur fundamentum, in quibus pariter comprehenduntur, tot quot ſunt & poſſunt in tota Arithmetica: cum omnes ex ſimplicium coniunctione, vnius cum altero, vel per illos multiplicando componantur. Omnes illos complectitur numerus denarius, & vnitatis vinculo connectit, quo illos ſibi inuicem copulat ſymbolum ſa-

III. Numeri denarij perfectio.

tis per ſe notum charitatis, quâ multi in vno coniunguntur, varia ac diſſimilia corda copulantur: qua de cauſa D. Paul. illam dicit *Vinculum perfectionis.* (*Coloſſ. 3. 14.*) Hinc ait præfatus auctor, denarium numerum apud Græcos vocari: *Decada* δέκαδα quaſi qui totum comprehendit, quo pariter in S. pagina ſignificatur vniuerſitas, vt notat Diu. Auguſtinus. Idem declarat hic numerus, teſte Diuo Ambroſio in quantum complectitur tres ternarios cum vna ſimplici vnitate.

Vnde colligit idem numerum hunc eſſe perfectiſſimum, quem ſequitur D. Hieronym. hoc expendens, quod valde familiare eſt Sanctis, ad illum numerum à Deo reduci totam ſuam legem, & quidquid à nobis prætendit obſeruari. Nec prætermittit hoc numero ſignari clementiam, qui etiam in modo, quorum ab Hebræis, tum à Græcis ſcribitur, myſterioſus eſſe perhibetur, dicat D. Hieron. *Iota littera, ex qua ſumit Saluatoris nomen exordium, non ſolum apud Græcos, ſed apud Hebræos denarium ſignificat.* Hinc cauſam elicit D. Ambr. cur S. litteræ ſpecialiter notent Noë decimum fuiſſe nepotem in generatione Adam, quia videlicet denarius numerus rectè eius conueniebat perfectioni de quo teſtantur: *Noë vir iuſtus atque perfectus in generationibus ſuis*, (*Gen. 6. 9.*) ad quæ verba D. Ambr. *Noe primus in veteri Scriptura iuſtus pronuntiatus eſt, decimus à protoparente inducitur non ad oſtentandam viuentium ætatem, vel præſcribendum numerum hominum, ſed vt aperte doceretur, quod ſicut denarius, numerorum, qui vnitatem ſequuntur perfectiſſimus eſt, ita tranquillitas, in anima finis eſt reuera actionum vita.* Supponit D. Ambr. id quod ſæpius notat D. Chryſoſtom. Noë ſignificare: *Requiem*, & optimè congruere numerum denarium, animæ quæ tranquillitate ſeu requie gaudet.

VI.

Iterum adeſt D. Auguſt. conſiderans quòd eadem qua vixit Noë, tempeſtate notat Spiritus S. nam eo quod ſcribit conſtat luce clarius, quòd generatio Adæ per Cain tum temporis, ad numerum acceſſerat vndecimum, tot enim ex Adam deſcenderunt per lineam Cain. Cur, quæſo, ſeruit hæc tam ſtricta nepotum ſupputatio? Quia generatio ac familia Noë iuſta erat & vlterius multiplicanda ipſo cum filijs in arca concluſo ne diluuio mergerentur perirentque vniuerſali. Sed vt quid Cain numeratur generatio iam nunc in generali diluuio terminanda? Quid refert fuiſſe vel vndecimam, vel duodecimã, vel vigeſimam, cũ iam ad extremam tenderet lineam? Ne dixeris monet

D. Au-

D. Augu. hanc gratis ſcribi ſupputationem, imo numerum hunc vndecimum exprimendo, oſtendit Dominus quàm eſſet corrupta illa Cain generatio, ſceleribus maledicta, quæ cuncta Dei impudens mandata tranſgrediebatur: numerus enim vndecimus tranſgreſſionem denotat, eo quod denarium tranſgrediatur, q. d. quòd generatio illa peruerſa & adultera decem Dei præcepta violaret & tales eſſent in omnibus ſacrilegi peccatores, quales illos ſacrum deſcribit eloquium. Hinc collige, cur Deus decimarum inſtituerit ſolutionem in beneficiorum recognitionem, debitamque gratiarum actionem, illo namque numero denario ſignificat, qui perfectionem præfert, quam perfectè velit illud à te ſeruari, & ex perfectiſſimis optimiſque, quæ collegeris, decimas ſibi dedicari.

39 V. Rem parentiſis conſidera, monet D. Ambroſ. cum decimarum inſtitutione. Quis illas primus ſoluit? Vnde earum principium? Ex Scriptura conſtat deduci ab Abraham. Ille prior decimas Deo perſoluit Et quando? & qua de cauſa? Hæc diuinæ ſignant literæ ob victoriam de quatuor ſuperatis à ſe regibus, qui iunctis copijs circumquaque prædas agebant, campoſque longè lateque deuaſtabant. Amraphel rex Sennaar, Arioch rex Ponti, & Chodorlahomor rex Elamitarum, & Thadal rex Gentium. His ſuis inſtructis legionibus ſeſe oppoſuerunt & alij quinque reges. Bara rex Sodomorum, Berſa rex Gomorrhæ, Sennaab rex Adamæ, Semeber rex Seboim, & rex Balæ. *Quatuor reges aduerſus quinque.* At inito certamine terga verterunt quinque præfati reges, cæſiſque eorum copijs, victores occuparunt regna, ac depopulati ſunt ciuitates, parem cum illis fortunā incurrit Lot, qui captiuus cum omni domo ac ſubſtantia deducitur. Rumor inopinatæ cladis feſtinus venit ad aures Abraham, qui collectis pro temporis anguſtia, ſubitò trecentis decem & octo vernaculis, ſeſe accinxit expeditioni: *Numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo.* Illuſtrem hanc Abrahæ demirare familiam. *Qua diuiſis ſocijs, irruit ſuper eos nocte, percuſſitque eos, &c. reduxitque omnem ſubſtantiam & Lot fratrem ſuum cum ſubſtantia illius: mulieres quoque & populum.* Quid tum Abraham?

Abraham primus decimas Deo ſoluit.

Gen. 14. 14.

VI. Obtenta diuinitus tam celebri victoria, tanti beneficij recolit amplitudinem, quā illum Deus nouem regibus reddiderat ſuperiorem, cū quatuor victores ipſe ſolus deuiciſſet, & quinque cæſorum damna reparaſſet: Repugnat æquitati tantum non recognoſcere beneficium, arguar vt ingratus ſi tantam Dei erga me benignitatem licet imparibus non compenſem officiis. O laudabile propoſitum. Proſperrimus ille certaminis euentus, Dei adſcribendus beneuolentiæ, gratum expoſcit animum, eſt enim Deus cui tantæ victoriæ palma deferatur. At quis ille mihi modus? Nouem ſunt Reges, quibus ſuperior euaſi Dei mecum pugnante potentia; his ego decimus annumeror: Meipſum igitur & totum quidem conſecro victoris obſequio, in cuius proteſtationem quidquid ex ſpolijs occurrerit optimum, illi conſecrabo. Summo occurrit Sacerdoti Melchiſedech, &: *Dedit ei decimas ex omnibus.* Ne ſic intellexeris (monet Caietan.) quaſi numerando, ac ſtricto modio menſurando prædæ decimas obtulerit Abraham, non tantum enim temporis illis inſumere vacabat, ſed hoc velim opineris, quòd pretioſa quæque ſummo detulerit Sacerdoti, in quibus velut in propria perſona ſeipſum velut ſupra nouem illos, decimum offerebat. En tibi (digito monſtrat D. Chryſoſtomus) Abraham, qui cum ſit fidei pater, primus quoque magiſter, nos vt decimas, ita & primitias docet perſoluere: *Per hoc Doctor factus eſt omnibus, vt declarantes gratitudinem, primitias eorum, quæ ſibi à Deo conceduntur offerant.* Nec hoc te lateat, quid præ cæteris inter decimas in beneficiorum memoriam Deo ſit offerendum, ſcilicet te ipſum; & tuo loco, ac nomine decimas omnium, quæ collegeris. Proinde, licet Eccleſia ſingulari præcepto te ad menſuram obliget, quam fideliter ſoluere obligaris: hoc tibi tamen in animum inducas debere eſſe & perfectiſſimum & optimum, & maximè pretioſum quod offertur: quia tuam repræſentat perſonam, adeo Deo obſtrictam, vt quidquid illi conſecraueris, cedat infinitis beneficiorum amplitudini.

Obreportatam de regibus victoriam.

Soluit Abraham decimas.

D. Chrȳ. Ho. 35. in Gen. T. 1.

Hinc anſam ſumpſit D. Auguſtin. ſcribendi contra illos, qui & de vilioribus, ac imperfecte, detrahendo ſoluunt decimas: quo declarat, hinc vobis tantas euenire in fructibus terræ calamitates, vt ex his diſcatis, quo cordis affectu decimæ ſint perſoluendæ. Hæc igitur eſt Dei voluntas, vt quiſque decimas ex collectis omnibus illi dedicet ex quo ſequitur, ſingulos tantò plura teneri Deo ad decimas offerre, quantò fuerit meſſis abundantior fructuſque copioſiores. His veſtigijs inſiſtit D. Cyrill. Alexa. dum expendit, quòd primo Leuitici capite, poſtulatis à Deo ſacrificijs, in ſecundo continuo ſubiungit, quale ſingulis incumbat offerendum, medijs ſuis rite conſideratis, quæ cuncta D. Cyrill. explanat,

VII. Decimæ ex melioribus offerendæ.

Ser. 219. de temp.

*Pſal.*118. quibus conuenire cenſet illud Dauidici: *Latum mandatum tuum nimis.* Cunctis præcipit Deus, fructus adferant: attamen illud Domini mandatum tanta pollet latitudine, quanta eſt cuiuſque diuitiarum amplitudo, vt, quæ potes, offeras. Illo conceſſo, nouerit ille, cui opes affatim affluunt, pauca largiendo Dei non ſatisfacere præcepto,

VIII. Dum augentur dona, rationes creſcunt donorũ. iam enim hoc Chriſtus expoſuit: *Cui commendauerunt multum, plus petent ab eo.* Cui concinit Doctor moralis: *Cum augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum.* Plura repetijt Dominus, ab eo qui quinque talenta acceperat, quàm ab eo qui duo tantũ; & ab hoc quoq; plura, quàm ab eo cui tantum vnicum erat commendatum:

*Luc.*12.48 *Hom.*9.*in Euang.* tandem à ſingulis popoſcit, vt fructum referrent: *Secundum propriam virtutem.* Quid te ô Crœſe diues decipis, cui milleni ſuppetunt cẽſus, cui familia floret velut arca Noe, duobus te ſatisfacere denarijs in eleemoſynam pauperibus erogatis? Tu verò qui robore, velut quercus cæteros præcellis, num tibi ſufficiat ieiuniũ tot in cœna cupedijs ac bellarijs intermixtum? Quid tibi dicam, qui totos dies impendis ambulationibus, huc illuc vagaris otioſus: in quem precor finem, tibi conceſſit Deus media, quibus abundè ſuffultus, ad laborem non adſtringeris quotidianum, vt pauper diurnarius, an non plura à te poſtulari putas, quam annuam peccatorum confeſſionem, & vnicam ſacri per hebdomadam auditionem? Hæc eſt mundi damnanda infelicitas quâ hominum patet cum Deo male grata correſpondentia. Quoad cætera, vt debitá ſeruent proportionem ſunt ſtudioſiſſimi, quoad Deum autem minimè: quiſque negotia ſua ac

*Sap.*11.21 familiam diſponit: *In numero, pondere & menſura.* Domine, qui tali dignitate ſublimis, qui tot redditibus opulentus, vt ego, ratio poſtulat, vt honori, vt mundo ſatisfaciat, tot ſeruos habeat ſtipendiarios, tot rhedas, tot aulæa, talem menſam Domine, qui tali, quo ego, fungitur officio, ſuadet æquitas, vt omnibus ſatisfaciam, ſeipſum officio congruè excipiendo, tam pretioſis induatur veſtibus, tot equis, tali deuehatur ferculo glorioſus. At quid Deo? An non decet tali collocutioni interuenirent, Deus ac pauperes? mentio fieret de pijs operibus in Dei obſequium faciendis? conſilium inires, quibus officijs Dei in te compenſares quotidiana, magnaque beneficia?

☞ 41 His quadrat, quod in S. legimus pagina de muneribus à duobus illis primis fratribus Deo confectis; Cain & Abel, quibus ſua munera offerentibus, Deus illa inter ſe contulit: Intuitu offerentium. *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain autem, & ad munera eius non reſpexit.* Quid hoc innuit? Attendit nũ munus cuiuſque reſponderet opibus. Abelis autem (inquit D. Amb.) accepta fuit oblatio, quia vidit illam Deus medijs ſuis aptè reſpondere. Caini verò reprobata vtpote multo diuitijs inferior. O quot Deo munera oblata ea de cauſa vt ingrata reijcienda? quot oblationes eorum, qui ambabus manibus munera gazophilacijs iniecerunt, à Deo reprobatæ; recepta verò pauperis viduæ duo minuta tantum offerentis? Hæc enim mulieris erant conformia paupertati: nec enim plura poterat: illorum autem longe diſsimiles: non enim ea quæ conueniebat intentione, nec quæ poterant, offerebant: *Hi ex abundanti ſibi &c. hæc autem ex eo quod deeſt illi, omnem victum ſuum, quem habuit, miſit.*

*Gen.*4. IX. Caini & quare. *Luc.*21.

X. Qui ſint fructus temporibus ſuis oblati. Alia hic eruuntur myſteria: *Fructum temporibus ſuis*, quæ ſuccinctim annotabimus. Primum. Eorum Chriſtus damnat ineptiam, qui ieiunia, pœnitentiam, confeſſionem, communionẽ, eleemoſynas in tempus extendunt futurum, dicendo cras, ad finem quadrageſimæ, anno venturo tales referam fructus, hæc & illa præſtabo opera pietatis. O te rationis impotem, hoc quippe tempus tuum non eſt, ſed Dei, cuius illud manu continetur, nec ſcis, num illud ſit tibi largiturus. Hoc ſolum tuũ eſt præſens tempus, hoc tibi concedit, illo, vt placet, vtere. Spiritui S. aures porrige. Occultum tibi eſt, inquit: *Quid ſuperueniet tibi in beneplacito altiſſimi, ſiue decem ſiue centum, ſiue mille anni, non eſt enim in inferno accuſatio vitæ.* Inanis erit illa apud inferos excuſatio. Plures annos mihi ſpoponderam, illos inopinatò reſcidit: tempus enim futurum, tuum non eſt; nec tibi conſtat, num ex illo Deus concedere tibi voluerit millenos annos, centenos, decem, vel vnicam ſolum horã. Hinc capio pſallentem David in laudem iuſti. *Fructum ſuum dabit in tempore ſuo.* Quæris quid indicet, *in tempore ſuo*: Salomon filius patris explicet myſteria: *Noli eſſe ſtultus multum, ne moriaris in tempore non tuo.* Dicis Domino, ad auroram agam pœnitentiam, ad anni terminum peccatorum faciam expiationem, ablata reſtituam: O *ſtultus multum.* An ignoras, hoc tuum non eſſe tempus, at Dei? Proinde non fiet illud, quod tu faciendum proponis, ſed illud quod Deus, nempe, vt in illo tempore moriaris. Secundum, docet quales eſſe debeant bonorum operum fructus: *Fructus temporibus ſuis*, id eſt, quòd fructus ab illo requiſiti, fructus ſint maturi, nec

*Eccl.*41. *Pſal.*1. *Eccleſ.*7.17.

ante tempus collecti. Multa video opera de ſe quidem bona, ſed talia eſſe deſinunt, quia non debito collecta ſunt tempore, nec matura Deo conſecrata. Quot confeſſiones inualidæ? Quot orationes inutiles? Quot communiones infructuoſæ? Cur hoc? Quia illis tempus non concedis præfixum ac requiſitum, nec ad peccatorum exomologeſim tempus impendis neceſſarium, vt rationes tuarum excutias fraudium, & multitudinem inquiras peccatorum, nec vt condignè tantò te præpares Sacramento, vel paruam impendis moram, Chriſti paſſionis meditationi; nec corpore Chriſti ſaginatus, tanti beneficij perpendis dignitatem, nec vllum conſecras tempus orationi, ſed velut quotidianum perſoluis penſum, & velox adeo percurris roſarium, vt quæ legeris, omnino neſcias, res omnis tempus ſuæ qualitati conforme requirit:
Eccl. 8.6. *Omni negotio* (teſtis eſt Spiritus S.) *tempus eſt, & opportunitas*. Verumtamen de his alias diximus.

## §. 16. Peregrè profectus eſt. *Nos liberos permittit Deus, & ſuum recipiendi fructus oſtendit deſiderium in eo quod agit.*

℣ 41. Elocata agricolis vinea, ipſiſque in ea iam conſtitutis, Pater familias: *Peregre profectus eſt*. Vbi D. Ambroſ. *Non quia ex loco ad locum profectus ſit, qui vbique ſemper præſens eſt.*
D. Ambr. In c. 20. Luc. T. 4.
Perſpectum enim eſt ipſis etiam infidelibus philoſophis, vt ait Apoſtolus, quod: *Non longe eſt ab vnoquoque noſtrum, in ipſo viuimus, mouemur & ſumus*. Sed his duo deſignantur. Primum quo ſignificet (interprete D. Hier.) quod te Deus tam perfectæ ac integræ permittat libertati, vt qualibet agas, quaſi mille leucis à te diſtaret peregrinus. Hoc eſt etenim quod Salomon ait: *Deus ab initio conſtituit hominem*, ecce viam, ecce operarium, vt diximus: *Et reliquit eum in manu conſilij ſui*, &c. *ad quod volueris porrige manum tuam*. Ecce quod ait: *Peregre profectus eſt*. Secundum, quo clarius innoteſcat, quod ſæpe diximus. Quod licet principaliter ac primario neceſſarium ſit, id quod Deus ex ſua facit parte in animæ tuæ ſalutem in tantum, vt eam ipſe quaſi ſolus operetur, pariter tamen requiritur, vt quoque facias quæ tibi facienda conueniant, animo tam ſyncero ac integro, quaſi Deus ex ſe nihil operaretur: hæc Theologiæ continet myſteria alterius loci ac tempori; illud tantummodo ſuccincte perpendo; quod prudenter notat D. Aug. quod Deus in ſacris litteris vocetur: *Adiutor noſter*: licet enim vt verū non diffiteamur illud Apoſtoli de Deo: *Qui operatur in vobis & velle, & perficere pro bona voluntate ſua*. Noſtra nihilominus fatemur ab ipſo requiri & opera & ſtudia: *Si enim per te ipſum impleſ totum* (vt Pelagius aiebat) *non eſſet neceſſarius adiutor*. *Rurſus ſi tu ipſe tua voluntate nihil ageres* (vt dixit Manichæus, cui noſtra tempeſtate conſentit Lutherus.) *non vocaretur adiutor: adiutor enim aliquid agentem adiuuat*. Bene quidē; ecce quid prætendat Deus, fructus, eoſque tanta mentis ſynceritate, vt inſtante tempore illos recipiendi, ſeruos miſerit, eoſdem relaturos, at erant agricolæ tanta impudentia diſcoli, vt nedum Domino fructus non redderent, ſed inſuper & alios fuſtibus contunderent, alios lapidibus præfocarent, alios gladio cædente trucidarent.

I. Pater familias peregre proficiſci fingitur.
Act. 17.
Eccl. 15. 14.
1. Ratio.
2. Ratio.
II. Cur Deus vocetur adiutor.
D. Avgv. In Pſal. 145. T. 8.
Philipp. c. 2. 13.

Hoc ex ſacris habemus litteris, miſſos à Deo prophetas, & prædicatores, qui ſuaderent ac ſingulos hortarentur, vt Deo debitos redderent fructus, quorum alios contumelijs affecerunt, alios vulnerauerunt, occiderunt alios; de quibus Apoſtolus: *Lapidati ſunt, ſecti ſunt, in occiſione gladij*, &c. Secundos miſit famulos, quo duo declarat. Primum: quàm ardenter, & quàm ſyncere fructus exoptaret, cum ad eos tot chariſſimos ſibi mitteret famulos, vitæque exponeret diſcrimini apertiſſimo. Et pro vt in D. Marco legimus, nedum illos, ſed &: *Plures alios miſit, quoſdam cædentes, alios vero occidentes*. Pluribus patet argumentis quanto Deus vineæ fructuum æſtuet deſiderio, ſed illud cæteris manifeſtius, videre quod in fructuum commutationem in dubiam fortunam adduxerit vitam ac ſanguinem fideliſſimorum ſibi ſeruorum, ac amicorum, quibus non habebat ſibi chariores. Sic loquentem introducit Oſeas: *Quid faciam tibi Ephraim? Quid faciā tibi Iuda?* quid vobis faciā? quid mihi ſupereſt agendū, vt debitos mihi fructus temporibus ſuis deferatis? *Inſuper propter hoc dolaui in prophetis, & occidi eos in verbis oris mei*, i.d. Meos miſi prophetas, vt vos ſicut lapides dolarent (eratis enim difformes, hiſpidi) ligone ac oris meo cælo acutiſſimo: *Dolaui in prophetis meis*. Metaphora ſumitur ex eo quod egit Salomon templum eo Dædificaturus: miſit enim octoginta millia, qui lapides de fodinis cæderent, elaborarent, & ad perpendiculum aptarent, vt in ædificio templi ſuo quique ordine ac loco reponerentur: tale quippe hoc erat opus, vt: *De lapidibus dolatis atque perfectis erigeretur*. Hunc ſenſum denotat lectio Chaldaica:

*Monui*

III. Serui miſſi ad recipiendos fructus male excipiuntur.
*Hebr.* 11. 37.
*Marc.* 12. 5.
*Oſe.* 6. 4.
IV. Hos tamen ipſe Deus occidiſſe dicitur.
3. *Reg.* 6. 7.

*Monui eos per legationem prophetarum meorum.* Miſi, inquit vates illos mihi fideliſſimos, mihi chariſſimos, vt illo miniſterio tanta fungerentur animi contentione, vt voluerim, quod in ipſa expoſtulatione morerentur, ſicut in rei veritate corruerunt: *Et occidi eos in verbis oris mei.* Ego, (inquit Deus) occidi illos in eo quod illis iniunxi, vt fructus mihi colligerent. Quid hoc Domine, tune ille qui prophetas occidiſti? Nonne refractarij agricolæ ſeruos ceciderunt? Hanc illis cædem impoſuit D. Stephanus, dum ſeditionis illis redarguens ait: *Quem prophetarum, non ſunt perſecuti patres veſtri, & occiderunt*, &c. Ego, inquit Deus occidi illos præceptis meis: *In verbis oris mei.*

Act. 7. 52.

43 V. David Vriam occidit.

Quis fideliſſimum regno, regique Vriam trucidauit? Remiſit illum ad exercitum Dauid, mandat Ioab Vriam exponat vbi maximum imminet periculum ab Ammonitis hoſtibus occiditur: dixerit quiſpiam gladio Vriam corruiſſe aduerſariorum: Nec abnuo; et multò veriùs illum occidit Dauid, qui tale Vriæ trucidando præceperat ſtratagema: ſic audio Nathan prophetam Dauidi Vriæ necem improperantem. *Vriam Hethæum percuſſiſti gladio filiorum Ammō.* Tu, qui virum in prœlium propulſti, tu qui virum in aduerſarios, & quidem tales excitaſti, tu qui virum barbarus occidiſti. Ego (inquit Dominus) qui prophetas occidi ſeruos mihi fideliſſimos, in eo quod illis præceperim, fructus ab agricolis vineæ meæ repetere, et illo meo præcepto eorum in apertum diſcrimen adducēs ſanguinem; præſcius enim noueram, quòd fructuum repetitionem ſanguine ſuo luerent innocenti. Tam vili ergone Domine ſunt apud te pretio ſanguis, vitaque fideliſſimorum ſeruorū: ſiccine integerrimos amicos floccipendis? Hæc pro comperto habebis, quanto tenear fructuum deſiderio, quo tanto flagro, vt in compenſationē fructuum, quaſi bene perditum habeam effuſum ſeruorum amicorumque ſanguinem. Quis non ſtupeat, dū perpendit tali expeditioni mittere Deum amicos ſibi maximè familiares: Et quò Deo chariores eò illos in apertius, hoc munere, vitæ diſcrimen adducebat: dum eius hæc eſt voluntas vt vitam ducant laboribus continuis exercitam, ærumnis afflictam, perſecutionibus moleſtam, dato famulis præcepto, vt in iniuncto ſibi munere, vſque ad ſanguinis effuſionem, mortemque indefeſſi perſeuerarent. Hieremiæ ſeruo ac amico ſuo integerrimo, & à matris vtero ſanctificato, præcipit catenas ligneas compingat, collo circumdet, ac per totam circumeat Hieruſalem vociferans: *Tota die vaſtitatem clamitans.* Probat autem Lyranus ijs grauatum quindecim annos inceſſiſſe, hoc eſt à principio regni Regis Ioachim alio nomine Iechoniæ vſque ad quartum annum regis Sedeciæ. O pondus nimium! quis illud tanto perferat tempore? Deinde iubet, ſic continuus incedat, licet illum peſſimè multarent puteoque immergerent fame, ſitiac incommodis meritturum, vt & factum legimus: vatem enim ſanctiſſimum teterrimo recluſerunt carcere, in puteum demerſerunt, nihilominus inſta Deus, vt à petendis fructibus minimè langueſcat, donec vitam ipſam profundat, ac perdat, cuius innocentiſſimi ſanguinis teſtis eſt ipſa ciuitas Taphnes, ſeu Tanais metropolis Ægypti; in qua cum eum exules Iudæi prædicantem audiſſent, vt Dei miniſtrum, & fructus Deo debitos, pœnitentiam exigentem lapidibus obruerunt.

3. Reg. 12. 9.

VI. Hierem...

Intimus ille Dei amicus, ac ſuorum particeps ſecretorum, cui datum eſt videre Deum inter Seraphines ſumma gloria radiantem, cum regio nobilis eſſet ſtemmate oriundus, hoc à Deo mandatum accipit: *Vade & ſolue ſaccum de lumbis tuis, & calceamenta tua tolle de pedibus. Et fecit ſic vadens nudus & diſcalceatus.* Tragico illo ſchemate Hieruſalem obambulans, deinde, feruentiſſimæ inſiſteret prædicationi, minas intentare grauiſſimæ ſeruitutis, ab hoc autem iniuncto ſibi munere non deſtitit: ſemper conſtans animi, donec iubente impijſſimo rege Manaſſe medius in duas partes horrenda morte ſerra ſecaretur. Quid Ezechielem commemorem, quo Deus famil iariſſime vtebatur? cui hoc iniungit, vt ſemel trecentis nonaginta diebus in latus requieſceret ſiniſtrum immotus: & iterum quadraginta diebus ſuper dexterū latus, vtque his ſimilibus iuſſis omnino tædioſis ſeſe populo offerret fructus poſtulans, donec inter eorum manus exſpiraret: captum enim pedibus indomitorum equorum alligarunt ab ijs crudeli nece diſcerpendum. Eodem modo daretur nobis campus per alios diſcurrendi Prophetas, omnes Deo chariſſimos, quos ab eo directos vt fructus exigerent, ſerui nequiſſimi ceciderunt, contumelijs affecerunt, occiderunt. Hinc ſole clarius liquet quo fructuum flagret deſiderio, quanti illos habeat, cum ad eos colligendos, vilipendere vitam an ſanguinem vilicorum Prophetarum, amicorumque non dubitarit.

VII. Iſaias...

VIII.

Dauidi ſitienti aquam de ciſterna Bethlehē,

tres

tres viri fideliſſimi vt Domini ſatisfacerent deſiderio medias hoſtium perfregerunt phalanges, hauſtamque in vaſe aquam regi bibendam obtulerunt. Figit pedem Dauid attonitus exclamat. O aquam, non aquam ſed ſanguinem, quã proprij animarum periculo ſanguinis tres mihi milites chariſſimi redemerunt: abſit à me tam charam propitiem aquam indecenti voluptati;
2.Reg.23. nequaquam. Deo eſt illa dedicanda: *Num ſan-*
15. *guinem hominum iſtorum, qui profecti ſunt, & ani-*
IX. *marum periculum bibam,* ſacra ſcriptura conſi-
Cũ Dauid aquã hauſtam Domino libauerit. gna. *Libauit eam Domino.* In illa ſtrenua expeditione, nec ſanguinem, nec vitam profuderunt, eo tamen ſolum intuitu quod vitam in certam vocauerant aleam in aquam illam Dauid tanto loco poſuit, vt ſoli Deo libandam eſſe indicaret. O quanti ſaciendus eſt, quem refert, anima fructus cum ad illum expetendum, parũ eſt quod ſanguinem vitamque chariſſimorum ſibi militum in diſcrimen adducat, quinimo, & reipſa ſanguinem fundunt vitamque perdunt ſibi chariſſimam. Diſce ô Chriſtiane, quanti ſint fructus illi pretij. Seruos ſuos & intimos amicos, vult Deus illis colligendis inſudare. Sic ſe res habet, ſi rem penitus inſpexeris, quotquot habet huic impendit labori, hoc illis iniungit vt vitam perdant, quibus facultas eſt illã perdendi. Huic miniſterio ſuos Angelos ſuos deſtinat Archangelos; quos creat miniſtros petendis fructibus
Heb.1.14. aptiſſimos: *Omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus,* &c. Huic operi inuigilarunt Dei prophetæ, Apoſtoli, Martyres, Doctores omnes vitæ dies impenderunt, ac tandem ſanguinem vitamque hoc in munere Deo conſecrarunt. Euidenter igitur probat pater familias, qua teneatur fructuum voluntate cum tot tantoſque delegarit miniſtros eoſque ſibi vnicos, qui fructum repetentes, iacturam vitæ ſubierunt.

§. 17. Miſit alios. *Magnam ſuam Deus oſtendit miſericordiam, qui tot mittat ſamulos, ac tandem vnicum filium.*

☞ 44 MIſericordiæ deinde Dominus ac diuinæ clementiæ clariſſimum dedit argumentum, qui priores mittens famulos, & his ab ingratis occiſis, non ilico conſilium init ſumendi vindictam, inſtamque pœnam de ſacrilegis, at his & alios ſuperaddit, & alios numero plures. At viliſſimi ſcurræ, ſi priores indignis affecere conuitijs nec ſecundo miſſis peiores pepercerunt, vt enim primũ ſuum aduertunt facinus abire impunitum, in alterum facinus audaciores proruperunt. En tibi compertum Spiritus S. vaticinium: *Quia non profertur cito* I.
*contra malos ſententia, abſque vllo timore filij* Impuni-
*hominum perpetrant mala.* O ingratos, quibus tas mater
Dei benignitas ac patientia grauioribus dedit audaciæ.
auſam ſceleribus. Hæc quoque illa eſt, qua in- Ecc.8.11.
nixus tot annis peccato ſordidus inhæres & obduratus. Multa præterito anno à te commiſſa noſti ſcelera, nec quidquam tibi mali accidiſſe doluiſti, modo verò in duplo maiora audax corruiſti: inter eos meritò cenſendus, contra quos excandeſcens Apoſtolus cœlos verberat. (a) (a) Tomas
*Ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te ad-* los cielos
*ducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœ-* con las
*nitens cor theſaurizas tibi iram* &c. Hinc illa cũ manos.
Deo Iſaiæ proteſtatio, quâ Dei velut ſugillat bo- Rom.2.4.
nitatem: *Indulſiſti Domine genti, indulſiſti genti,* Iſai.26.
*numquid glorificatus es?* O Domine, vates prædi- 15.
xit tibi non proſperè tuam bonitatẽ pietatemq; ceſſurã, quod tot pœnitentiæ dies, tot lachrimis annos indulſiſti clemẽs peccatori: *Numquid glorificatus es?* Numquid inde prodijt, vt impudentiùs fræna laxarent iniurijs, tibique in faciem male dicerent: de quibus Deo dante, mane. Quinimo & ipſe Salomon hoc vero verius confirmat: *Hoc eſt peſſimum inter omnia quæ ſub cœlo* Ecc.9.3.
*ſunt, quia eadẽ cunctis eueniunt: vnde & corda filiorũ hominũ implentur malitia, & contemptu in vita ſua.* Hæc ſumma peccatorũ peruerſitas, vt ex quo vitæ morumque anſam ſumere debuiſſent correctionis, ex eo reddantur in malitia & obduratiores, & nequiores. Hoc ſi peradito & ipſos licet omnes famulos duriùs exceperint, imo trucidarint: tanta nihilominus ferbuit paterfamilias vindemiæ percipiendæ voluntate, vt vnici filij honorumque omnium ex aſſe heredis vitam oppignorare non dubitarit.

Habes D. Mar. apertè hoc declarantem. *Adhuc* Mar.12.6.
*ergo, & vnum habens filium chariſſimum miſit illum dicens forſitan verebuntur filium meum.* Heu Domine ſiccine dubiæ exponis fortunæ & talẽ vitam, & talem filium? An non potius timueris, ne refractaria illa peruerſaque gens excuſſa omni humanitate, nec filium licet tibi chariſſimum vereatur? An non illos pudor nullus, nulla modeſtia deterruit, quin & priores occiderint, & in eodem facinore pertinaces ſecundos quoque famulos crudeliter interemerint? O flagrantiſſima Dei deſideria: quibus bonorum operum appetit prouentum? Vadat filius; quod ſi occiderint, tunc primum, quàm ſyncerè fructus expetierim, cunctis erit exploratũ, cũ pro illis filij

mei & talis, ſanguinem vitamque oppignoraram. Nec non mea clareſcet bonitas, mea clementia qua vſus ſum, & quidquid perferri poterat, longanimis ſuſtinui. Tandem orbis execrabitur vniuerſus tantam agricolarum impudentiam, tantamque ſeruorum ingratitudinem.

II. Chriſtus cur dicatur nouiſſimus. *Apoc.* 1. 17.

Modum, precor, attende loquendi, quo præclara complectitur Sacramenta: *Nouiſſime miſit filium ſuum.* q. d. fecit potentiam in brachio ſuo: *Nouiſſime.* De ſe ipſo ſic Chriſtus teſtatur: *Ego ſum primus & nouiſſimus.* Satis liquet, cur primus dicatur: ipſe enim eſt principium, ipſe per quem omnia facta ſunt: at cur dicitur: *Nouiſſimus?* Quia omnium nouiſſimum ac vltimum, ad quod aſcendere valeat Dei bonitas ac clementia, nouiſſimum ac vltimum ad quod diuina ſe poteſt extendere omnipotentia, illud eſſe cognoſcimus, quòd vnicum nobis tradat filium. *Ser.* 154. *de temp.* *Exod.* 12. 6. Ad rem exponit D. Aug. rationem, cur ex Dei præcepto agnus paſchalis, vera Chriſti figura immolaretur: *Ad veſperam*, ad finem diei, quia hoc omnium vltimum fuit ſacrificiũ, quod Deus in noſtram potuit offerre redemptionem: quocirca & tempus aduentus eius, vocatur: *Hora nouiſſima. Filij nouiſſima hora eſt.*

III. Agnus paſchalis cur ad veſperam offertur. *1. Ioan.* 2. 18. *Ioa.* 3. 16. *Rom.* 8. 32. *1. Cor.* 2. 9.

Hoc eſt nouiſſimum quod Deus in noſtram potuit expendere reconciliationem. Et vt tale Nicodemo Chriſtus ipſe propoſuit: *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum vnigenitum daret.* Non plus vltra: Nam *qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiã cum illo omnia nobis donauit?* Conſidera, quæſo; & quantumlibet intellectum extende, num dandũ ſit aliud vlterius. Attendit hoc Iſaias, & attonitus in has erupit voces, quas expendit Apoſtolus: *Nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit*, &c.

☞ 45

IV. Incarnatio filij Dei, donũ maximum.

En quàm aptè hic conueniat, quod ſuperius diximus de illo: *Non plus vltra.* Eſt quippe hoc donum, cuius conſideratione Seraphim obſtupeſcunt, & quaſi mente ſuſpenſi caput contegunt, & velant oculos, quo velut conteſtantur ſe tanti muneris non capere magnitudinem. Hoc piæ paſcuntur mentes, huius meditatione, nimio Dei amore corda liqueſcunt beatorum. His D. Pauli intellectus occupabatur, *Qui dilexit me & tradidit ſemetipſum pro me.* Hic audio D. Auguſtinum in Dei laudes excurrentem. *Galat.* 2. D. Augv. *l. Solilo. c.* 13. *To.* 9. *Venundatus eram veniſti pro me, vt redimeres me. & tantum me dilexiſti, vt ſanguinem tuum in pretiũ dares pro me: dilexiſti me Domine, plus quam te: quia mori voluiſti pro me.* Hic iterum D. Aug. ex quo ſumpſit D. Gregor. *O mira dilectio charitatis, vt ſeruum redimeres filium tradidiſti.* Hæc eſt illa: *Nouiſſima hora.* *1. Medit. c.* 11. D. Gre.

Miſit igitur magnus ille pater familias vnicum ſibi chariſſimum, quem à longe vt agricolæ cognouerunt accedentem, in concilium conueniunt, & concordi, melius dixero diſcordi, voluntate in filij conſpirant necem, quem vineã exturbatum interimunt, vt vineæ ſibi contrahãt poſſeſſionem. Vides? quàm dilucidè illis ob oculos ſuum proponat concilium, quod præteritis diebus collegerant, quo ob reſuſcitatum ab inferis Lazarum, quo miraculo, vt nullo alio euidentiori illum, vt promiſſum populo Meſſiam vel inuiti fatebantur communi ſed nigro calculo mortis reum acclamarant, vt illis maneret vineæ dominium: *Ne forte veniant Romani, & tollant locum noſtrum*, &c. *Expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo.* *Ioan.* 11. O proditores: quid vobis videtur? Quo rebelles digni ſupplicio? *Malos male perdet, & vineam ſuam locabit alijs agricolis.* En Iudæorum ruinam adeo iuſtam, vt ipſi ferant iudices ſententiam.

Expendit D. Cypria. ſtultam quorundam peruerſitatem, quâ concitati, vt id quod optant aſſequantur, grauiſſimas Deo peccatis ſuis irrogant iniurias: Hanccine eſſe autumnas conſequendo lucro rationem. An tibi perſuades, medio peccato, perditas opes eſſe reparandas? Hoc ſibi certum ſtatuebat impius Saul, quòd Dauidem innoxium perſecutionibus laceſcens, ſibi fixius ſtabiliret imperium; at ob ſuas noxias iniquitates regno priuatur & vita. *l. de Vnit. Eccleſ.* V. Stultitia velle peccando conſequi temporalia. Peccante Salomone (auctore D. Cypria.) permittit Deus continuò cogi concilium, de ruina ac regni totius diuiſione: *Suſcitauit autem Dominus aduerſarium Salomoni Adad.* *3. Reg.* 11. 14. Aduerte inquit, quid tibi conſulat Deus; *Tene quod habes, vt nemo accipiat coronam tuam. Non vtique Dominus minatur auferri poſſe coronam iuſtitiæ, niſi quando recedente iuſtitia, recedat neceſſe eſt corona.* *Apoc.* 3. 11. Ipſa ſola namque iuſtitia, ipſa pietas, confirmat diademata, regnaque non auferendo regibus. Tu iudex eſto, num ad eorum conſeruationem optimum ſit medium de peccatis in peccata labi perniciem. Hæc diademata capitibus deijciunt, hæc ſceptra confringunt, hæc purpura exuunt, hæc honoribus ſpoliant, hæc opes exhauriunt, hæc animam, vitamque deprœdantur. Hæc illorum arguitur extrema fuiſſe dementia, qua ſibi perpetuam vineæ promittebant hereditatem ſi de medio tollerent heredem. At hoc illos euertit: *Peruenit ira Dei contra illos vſque in finem ſuper illos.* *1. Theſſ.* 2. 16.

*illos; qui Dominum occiderunt Ieſum & prophetas*, ait Apoſtolus. Ea igitur de cauſa malam hanc & adulteram perdidit generationem, occidit homicidas. Eia igitur Chriſtiane: *Cognoſcat generatio altera, filij qui naſcentur & exurgent.* Memoria retine quàm illi grauiter mulctati, nec hoc te lateat, idem tibi manere ſupplicium; minitante Apoſtolo: *Alioquin & tu excideris.* Si enim illis, vt filijs naturalibus non pepercit. Caue ne tibi deterius contingat. Hæc illa eſt hiſtoria.

## §. 18. Malos malè perdet. *Chriſtianus non referens fructum multò punietur grauiùs quàm ipſa ficulnea, & Rex Baltaſſar.*

☞ 46 SIcut à Iudæis, ita & à te ô Chriſtiane Deus fructus expoſtulat bonorum operum. In eam intentionem, eiectis de vinea Iudæis, & ab his erepta Eccleſiâ te in ea poſuit, omnibus, quæ deſiderare poſſet animus abundè ſuperaffluente. Niſi fructum detuleris, iam tibi maledictionis mortiſque decretum intentat Apo-
Hebr. 6. 4. ſtolus: *Terra ſæpe venientem ſuper ſe bibens imbrem, &c. proferens autem ſpinas & tribulos, reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſummatio in combuſtionem.* Hæc autem parabola propoſita Phariſæis, quâ Chriſtus perditis illis hominibus infauſtum prædicit exitum, ob fructuum ſterilitatem habita probatur ipſa Palmarum Dominica poſt feſtiuiſſimum illum ingreſſum in Hieruſalem. Peracta verò concione foras receſſit, videnſque ficulneam proprius acceſſit ficus decerpturus, fame namque torquebatur, ſed concupitas non inuenit. Quid tum? Fructibus va-
Matt. 21. 19. cuam verbo maledixit: *Numquam ampliùs ex te naſcatur fructus in ſempiternum.* O verbum Dei potentiſſimum. Continuò ficulnea folijs ramiſque exaruit. Porro: *Mirati ſunt diſcipuli, dicentes: quomodo tam cito aruit?* SS. Patres, magis adhuc admirantur, nõ quòd Chriſti verbo maledicente de facto ficulnea confeſtim exaruerit, iam enim
Pſ. 148. 5. Dei nouimus potentiam: *Ipſe dixit & facta ſunt.* Sed hoc eos rapit in admirationẽ, quod ait Mar.
Marc. 11. 13. *Non enim erat tẽpus ficorũ*, vtpote menſis Martius
I. Cur Chriſtus ficũ maledixerit. voluebatur, Quo, quis à ficulnea ficus requirat? imo iã multum perfecerat quæ tot folijs viridis præcox germinabat. Dñe te ficulneæ nimis ſeuerũ oſtendis. Nũ fortè ficulneæ imputandum, fructibus extra tempus debitũ nõ fœcundari? Si modo ad ceraſũ acceſſero, & ceraſa nõ inueniẽs eã iuſſero extirpari, ad ignẽ damnauero, quod ferent de me homines iudiciũ? me delirare, rẽ agere inſulſã. Si iudicio polleret ficulnea, nõ peccaret, nec ei quiſquã vitio verteret, tali tẽpore fructibus nõ grauari, nec minori poſſet tecũ Dñe iure expoſtulare, quàm olim aſina Balaã, dũ fuſte latera eius tunderẽtur. Quinimo, & te ipſum Domine, ait D. Greg. plus cæteris admiror: te ſci- l. 8. Epiſt. 42. ad Eulo.
licet ad arborẽ accedere fructus quæſiturum eo maximè tempore, quo manifeſtum eſt omnibus, fructum non ferre, quis niſi delirus hoc ageret?

Plurima ſeſe cõſideranda offerũt myſteria, verũ illud præcæteris notat D. Greg. Supponit, quoſdã prudentia ſingulares plura ſignificare editis geſtibus, quàm alij multa verborũ eloquẽtia. Peccãtes protoparentes noſtros ilico Deus citat ad tribunal & paucis interiectis, in ſerpentẽ aggreditur, quẽ grauiſſima ferit maledictione: *Maledi-* Gen. 3. 14
*ctus es inter omnia animantia, & beſtias terræ.* II.
Quid agis Dñe? pœna non niſi noxios perſtringit, & culpæ reos inuoluit; Serpẽs nullius culpæ reus, nec quidẽ eſſe poteſt, vtpote animal irrationale. Si culpa, ſit dæmonis, vtpote qui ſerpẽtis induit corpus, linguaq; vſus eſt, ille, nõ ſerpẽs, feriatur Si ſerpenti, nullius ſceleris noxio, & nec quidẽ eius capaci Deus ſic grauiter maledicit, ea Si ſerpẽs maledicitur quanto grauius ipſe diabolus.
ſolũmodo de cauſa quòd ſub illo ſe diabolus Euæ obtulerit, & quia ſine vllo ſerpẽtis vitio diabolus linguæ eius inſtrumẽto valuit, quo Euã ſeduxit, parẽteſq; noſtros in primã præcipites egit inobedientiã, qua non maledictione ipſũ puniet dæmonẽ tanti peccati primarium inuentorem?

III. Homo & poteſt & debet ferre fructus, alioquin maledicendus.
Qua, vereor, te graui nõ percellet maledictionẽ dũ diabolicã induens naturã linguã tuã verbis tuis ad fraudẽ cõpoſitis puellã ſeducis innocentẽ, viduã illudis omnis fraudis expertem &c.? Hoc hic ſignificatur. Maledicit Chriſtus ficulneã infructuoſã: nõ quia fructus nõ ferebat, cũ tẽporis hos nõ pateretur intempeſtiua ratio, ſed quia in illa ſibi offerebãtur Iudæi, ceremoniarũ exteriorũ folijs redundantes, fructibus autẽ ſteriles: quid illis igitur Chriſtũ facturũ formidamus? Qua nõ eos perſtringet maledictione? Si ficulneã infructuoſã tã inaudita & efficaci maledictione perculit, cum nec ferre fructus teneretur, nec poſſet ob tẽporis importunitatẽ, væ tibi Chriſtiane quæ tibi nõ timẽdæ ſũt maledictiones, quæ formidanda ſupplicia qui ferre fructus adſtringeris? & cũ tibi frequẽs adſit tẽporis opportunitas, parũ eſt fructibus ſterilẽ inueniri, at inſuper tribulis, & ſpinis es fœcũdiſſimus: væ tibi.

Væ tibi, ne te terribilis horrendaque compre- 47 ☜
hendat illa ſententia, & iuſtè quidem exarata in Regem Baltaſſarem. Epulabatur ſplendidè, magnus aſſidebat conuiuarum numerus. Sacrata templi vaſa non dignis contrectabat

IV. Daniel Baltaſſaro explicat ænigma.

modis, Dei ſupellectilem polluebat. Inopinatò ſcribentis in pariete percipit manum, corde ſuſpenſus palpitat, vt argento viuo illitus totus contremiſcit, graue veritus infortunium. Conuocantur aruſpices, arioli, magi, nec eſt qui ſapienter aut ſcripturam legat, aut lectam ediſſerat. Adeſt Daniel. Ego verborum lector; ego interpres. Vidiſti manum tibi apparentem? Vidi. In quem credis finem? Quando tibi manum alter exporrigit, aliquid ſe velle ſignificat. Noueris ô Rex, manum illam à te fructus poſtulare. Patrem tuum beneficijs cumulauit prope dixerim Deus infinitis, Regno præfecit inclytum, gloria ſublimiſſimum extulit: at paribus nō reſpondit officijs, debitos enim fructus ferre recuſauit. Regni tu habenas ſuſcepiſti moderandas, beneficijs, gratijs, diuitijs, gloriâ, & autoritate te Deus licet immeritum exaltauit, ea procul dubio mente, vt donorum fructum ex te colligeret, quos illa porrecta manus efflagitat, quia verò illos inhumanus reddere contempſiſti, tribus en verbis exarata legitur mortis tuæ non reuocanda ſententia: *Mane, Thecel, Phares.*

Dan. 5. 25.

Significant autem hæc numerum, pondus, & diuiſionem. Numerum: *Mane, Numerauit Deus regnum tuum & compleuit illud.* Pondus. *Thecel, Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens.* Diuiſionem. *Phares. Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis.* O Chriſtiane ad idem tu citatis tribunal, in eadem appenderis ſtatera: vide quales à te fructus exigat. Quibus te præuenit officijs immerentem? Eſſe tribuit, vitam, animam rationis capacem; Chriſtianum baptizauit, fide illuminauit, ad Eccleſiam induxit, proprij ſanguinis poculum propinauit, Sacramenta inſtruit, ſeipſum, vitamque tradidit beneficus. Caue ne dies tui compleantur, ne forte tibi hic luceat vltimus. Attende, quod in ſtatera iuſta appendat, quæ pro te fecerit Deus in animæ tuæ redemptionem, & in commutationem expoſtulet quid in eius egeris obſequium. Quid Deo reddidiſti, niſi peccata, dolos, ingratitudinem? Time, superuenturam corporis animæque diuiſionem, Corpus in ſepulchro vermibus damnabitur erodendum, à dæmonibus anima diripietur æternis torquenda ſupplicijs. Modò prouentum exhibe; tibi perſuade me Dei eſſe miniſtrum (vt verè diuina gratia, talis ab eo miſſus ſum) cuius nomine à te prouentum expoſtulo. Quis ille charitatis Dei flagrantiſſimæ? Qui fructus ieiuniorum operumque pœnitentiæ? Quot eleemoſynæ pauperibus erogatæ? Quot corporis caſtigationes in tuorum expiationem peccatorum? Quâ ſuſtinuiſti calamitates pœnaſque patientiâ? Quo ſilentio conuitijs irritatus obmutuiſti?

V. Idem homini Chriſtiano applicatur.

Heu Domine mi, quàm congruè te ipſum poſſes hac tempeſtate nobis exhibere lamentabundum, ſicut in diebus Michææ Prophetæ. Noſtro loquamur modo vt meliùs capiamur. Viderat propheta Dominum velut cœli cardines obambulantem, ab imo trahentem pectore ſuſpiria, inclamantem: *Væ mihi.* Quid tibi Domine dolet quid angit, quòd cordis mei viſcera illo lamentabili: *Væ mihi* lancinaueris? quis te caſus oppreſſit inopinatus? quod ſiniſtrum domum tuam perculit infortunium? quam mœres diuitiarum iacturam? num bonorum paſſus forte naufragium? num grauis inuaſit ægritudo? *Factus ſum ſicut qui colligit in autumno racemos vindemiæ, non eſt botrus ad comedendum &c. Perijt ſanctus de terra, rectus in hominibus non eſt: omnes in ſanguine inſidiantur, vir fratrem ſuum ad mortem venatur, &c.* Plantaui vineam, neceſſaria quæque ſuppeditaui, quinimo quidquid habui in eius expendi dedique vt ditatem, vindemiam experij & præter labruſcas, quæ comedi non poſſunt, quod colligam, inueni nihil. Diuino Dominus explicat eloquio, modernum agendi modū; & quàm illi male reſpondeamus, qui tantum illi labruſcas, vuas non maturas, offerimus. Venit alius, vineam colit, adeſt tempus vindemiæ, cunctos colligit racemos botris grauidos torculari exprimendos hinc inde in pampinis quaſdam omittit labruſcas, quas, cum longiùs diſtent, virtus non attingit; accurrit demum pauper, illas colligit: qui vtique alias non inuenit. Hinc ſumpſit Deus metaphoram. O Vinea quot non racemos vuis turgidos colligis, quos domui tuæ infectas, quos mundo, quos dignitati; Deo autem quid? En querelam eius de Cain, iuxta lectionem Septuaginta: *Nonne ſi rectè offeras, recipies ſi non rectè autem diuidas peccaſti.* Hinc ſumpſit D. Ambr. alijque Patres argumentum opinandi, hoc fuiſſe Caini peccatum, quòd fructus maturos, maiores, ſaniores que ſibi collegerit, Deo verò non niſi immaturos, exeſos, acidoſque obtulerit, vnde illi improperat: *Si rectè offeras.* Offers quidem Deo, at male diuidis, tibi quod bonum eſt, Deo quòd malum, diſtribuens. Quos, ô Chriſtiane fructus obtuliſti, à quo te tempore plantatum gaudes in Eccleſia, tot Dei donis ſuffultum, tot beneficijs coronatum, tot gratijs circumfuſum? labruſcas quaſdam acidas, male ſapidas, immaturas, vnam eleemoſynam

VI. Qui ... Deo ... fer. Mich. 7.

Gen. 4. 7. Lib. de Cai. & Abel.

& qui-

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

& quidem toruo vultu non libenter datam, ſed indignáter proiectam, non ex amore ad Deum, ſed hominum intuitu: vnam orationem omnis attentionis expertem & non maiori prolatam reuerentia, ac ſi trunco loquereris, vnâ confeſſionem, propoſitis emendationis adeo languidis, vt à confeſſarij pedibus diſcedens, continuò in eadem labaris peccata recidimus, communionem offers, ſed quis tanto dignus reſpectus Sacramento, quæ cibi cœleſtis digeſtio, qui cum vitæ ſit panis, tibi mortis ſit venenum? Peccata ſunt multa: proditiones ſine numero, furta, adulteria, detractiones, inuidias, iras offers infinitas.

§. 19. *Si Iudæi ob non redditos fructus vineâ expelluntur, quid timendum Chriſtiano, qui ne fructum quidem offert vnius Phariſæi.*

☞ 48. COncludamus: *Vt cognoſcat generatio altera.* In huius generationis malæ & adulteræ condemnatione, ſuam cognoſcat generatio altera. Perpende, quid peruerſæ huic contigerit generationi. Perdidit illos Deus, ac tales ablegauit, quales & vidimus & eſſe nouimus. Qua de cauſa? Si parabolam inſpexeris, triplicem ob culpam. Prima eſt tanta erga Dei beneficia ingratitudo: cum enim nullum beneficij genus, quod vel ad vtilitatem eorum, laudemque ſpectaret, Deus omiſiſſet, paribus non reſponderunt officijs ingrati, non fructus reddiderunt bonorum operum, ſed iniurijs peccatiſque peruerſi compenſarunt. Secunda: quia Domini famulos ſemel & bis occiderunt, id eſt prophetas. Tertia; quia filium interemerunt & crucifixerunt. At non ego (inquies) tanti criminis reus, non ego tam peruerſæ obnoxius ingratitudini: ſed nec eius occidi prophetas, multo minus Dei filium crucifixi. Quinimo in homicidas excandeſco, tantum deteſtor facinus, omnem illam generationem vt infamem exſecror. At dico tibi. Eiuſdem tu quoque teneris culpæ obnoxius. Tu es ille vir. Primum: Ingratitudinis expoſtularis: cum in te ſit illa multo peior, quàm in illis: extra ramque controuerſiam eſt, multò tibi à Deo & plura & maiora, quàm Iudæis eſſe collata beneficia. Illos quippe de Pharaonis, te de diaboli liberauit ſeruitute. Illis bona terræ, tibi bona ſpopondit cœleſtia, illos per mare rubrum demerſis tranſuexit hoſtibus, te per fluenta baptiſmi, deletis traduxit peccatis. Illis aquam de petra, tibi de corde ſuo verisque ſanguinem propinauit. Illis manna propoſuit in cibum, tibi carnem ſuam ſumendam tradidit. Illis timoris, tibi legem præſcripſit amoris. Illos in terram duxit corruptibilem; te autem regnorum aſſumpſit heredem. Dicat modò completum illud quod ante promiſerat: *Non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor.* Iſa. 65. 17

I. Triplici de cauſa Iudæi eijciuntur.

II. Similiter & Chriſtiani.

Modò tuam expendamus ingratitudinem: rationem exigamus. Conuocat itaque propheta Samuel Iudæos coram ſe populum Dei beneficiorum peſſimè memorem, reum facit, expoſtulat: *State & iudicio contendam aduerſum vos coram Domino, de omnibus miſericordijs Domini.* Quia vt præclarè D. Bern. nedum eſt iudicium rigoroſum in quo mala agitantur opera adulteria, furta, rapinæ, homicidia &c. ſed & illud quoque ſtrictiſſimũ, in quo ad ſtateram reuocantur bonorum operum defectus, ratio exigitur de non frequentatis Sacramentis, non datis eleemoſynis, de iniurijs non remiſſis, de extremè laborantibus derelictis, de omiſſis orationibus cur tot tantiſque Dei beneficijs, bonis operibus non benè gratus reſponderis. Hoc quoque teſtatur Bernar. ſe ſemper timuiſſe ſcrutinium. 1. Reg. 12. 7. Ser. 54. in Cant.

III. Chriſtiani ad iudicium citantur.

Ad idem ego vos cum Samuele prouoco iudicium: *State & iudicio contendam aduerſum vos coram Domino, de omnibus miſericordijs Domini.* Si iuxta beneficiorum ac miſericordiarum Domini magnitudinem referenda ſint obſequia, ſcrutemur ô Chriſtiane, qualia tua illa ſint. Si numero, ſi dignitate vincant illa Iudæorum, ſcito tibi beneficia præſtita, illis multo ſunt vt numero, ita dignitate celſiora. Iure meritò ſunt vt numero, ita dignitate celſiora. Iure merito (inquit D. Chryſoſtom.) minatur Chriſtus nouæ generationi: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, plus quam Scribarum & Phariſæorum non intrabitis in regnum cœlorum.* Qui beneficia recipit ampliora, neceſſe eſt obſequijs reſpondeat in gratiarum actionem amplioribus. Quæ precor eſt Scribarum Phariſæorumque iuſtitia? Vnum de grege proponamus (inquit Dm. Chryſoſtom.) quem ipſe nobis Chriſtus obiecit & bonis licet operibus prælatum, reiectum tamen & condemnatum. Ille primò, templum aſcendit oraturus, Deo pro collatis ſibi donis gratias acturus: vnde orationem ſuam orditur: *Gratias ago tibi.* Secundò: de hoc ſe laudat. *Ieiuno bis in Sabbato,* Tertiò: decimas, nedum collectæ meſſis in agro, ſed & omnium quæ vt ſua poſſidebat: Ho. 16. & 18. ad finẽ in Matth. Matt. 5. 20

IV. Qua de cauſa reiectus Phariſæus. Luc. 18. 10.

*Decimas do omnium quæ poſſideo.* Quartò : teſtimonium de ſe ferebat. Quod adulter non eſſet, non prœdo , non iniuſtus : nec illum alicuius Chriſtus conuincit mendacij , nec credendum ille mendacia proponeret , qui Deo colloquebatur , licet verum eſſe fateamur , quòd illa eo, non dixerit, quo par erat, modo. Viden' Phariſæuum ? Scito igitur eum eſſe repulſum: quia licet ea quæ profert egerit, non ea tamen fecit , ad quæ ex receptis à Deo gratijs, facienda tenebatur. Ita vt illi obijcere licuerit, quod olim regi Balthaſſari : *Inuentus es minus habens.*

V. Chriſtianu cauſa vétilatur

Agedum Chriſtiane: ſcrutemur vias tuas, num in te, quæ in Phariſæo, laudentur opera. Quoties templum aſcendiſti Deum oraturus , pro receptis, gratias acturus beneficijs ? Quoties proſperâ lætatus es fortunâ ? Quas non opes lucratus in ſtatu vel ſæculari vel Eccleſiaſtico ? Meſſem congregaſti quàm opulentam ? Quàm optatum habuit euentum , de quo tantum tibi timebas, negotium? Quàm longa Dei benignitate potitus valetudine ? Quàm in Republica dignitate glorioſus ? Quod ſi modo computum ineamus beneficiorum , quibus te Deus præ ceteris ditauit, ipſe namque te in Eccleſiam introduxit, baptiſmate lauit, Chriſmate confirmationis roborauit, carne propria & ſanguine pauit, millies tibi ignouit, abſoluit à peccatis &c. Num ædes ſacratas aſcendiſti Deo pro his ſingulariter gratias relaturus ? Ieiunas bis in Sabbato ? Faxit Deus his ieiunes in quadrageſima , non enim aliud intendis quàm prætendere excuſationes , & perpetuam obtinere carnibus veſcendi facultatem, à ieiunijs abſolui, & hoc tibi ſufficere iudicas , quòd à decem menſibus febriculam percepiſti aut capite doluiſti. Deo ne decimas perſoluis omnium quæ poſſides? Num cor tuum ab adulterio liberum. Iudex eſto, quod ne quidem ea agas, de quibus hic ſe laudat , Deoque gratias agit Phariſæus. Ille verò cum eſſet Phariſæus nec ad tanta, ſicut tu, totque rationibus adſtringeretur , his omnibus commendabilis, nihilominus condemnatur. Tu verò qui Chriſti nomine gloriaris ex quo ad perfectiora deuinciris, cui Chriſtus ipſe

Matt.5.20 proteſtatur: *Niſi abundauerit iuſtitia veſtra, pluſquam Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Qui nedum illi in bonis operibus cōpararis, ſed & in multis illi nec comparandus cedis, qua tibi ratione cœlum ſalutemque polliceris ?

☞ 49 Secundò: reus poſtularis , quòd Dei famulos duriùs exceperis. Iam te adeo turbatum, ac reſpondentem audio, abſit à me , quinimo ſummo Dei famulos ſemper honore ſum proſecutus, nullo non tempore Prælatos , Prædicatores Confeſſarios, Sacerdotes, ceteroſque Dei miniſtros omni reuerentiæ genere honoratos colui, eorumque ſaui exiſtimationi. Sit ita; noueris tamen quod ſi nec occideris, nec fuſtibus illos Dei famulos contuderis, alios tamen Dei ad te miſſos clementia & occideris , & occidens. Quot in corde tuo Dei præfocas nefarius inſpirationes ? Quot eius voces & negligis & contemnis obduratus? An non ad eorum tu numerum reuocaris de quibus Apoſtolus tam grauiter : *Qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent?* Quot Dei nuntijs cordis tui ianuam in faciem pertinax occluſiſti? Nec hoc ignores, omnes illos pulſus, quibus animæ tuæ quatitur oſtium, Dei eſſe miniſtros , tibi ab illo delegatos in particulari, qui fructus meſſemque poſtularent. Tandem quàm crebrò Dei filium crucifigis? Toties, quoties peccas : *Rurſum crucifigentes ſibimet ipſis filium Dei*, ait Apoſtolus.

Plus illi Barabbæ quàm Chriſto detulerunt, & ne bonorum ſubirent auari periculum, illum perdere Deicidæ ſtatuerunt. Quoties tuas præfers Chriſto voluptates ? Quoties ob quæ neſcio phantaſmata Chriſtum manu mittis ? Quoties ne quatuor aſſium toleres iacturam crucifigis redemptorem, periurijs, latrocinijs , infinitis, malis deſideris. Caue tibi mortalium infauſtiſſime , ne te grauis illa iuris apprehendat ſententia : *Malos malè perdet* . Attende quàm ſtrictè puniat illos. *Deus oſtendet mihi ſuper inimicos meos ne occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei.* Quam eſſe rationem ſuſpicaris inquit Dauid , quòd Deus Iudæos deſeruerit , & eiecerit vt viuant, & vadant, vt oculis pateat omnium, perditi, deſpecti, ab omnibus mundi nationibus ludibrio habiti , verſi barbaris in parabolam? Cur noluit eos à Romanis funditus deleri, dum eorum ſibi ſubiugarunt Prouinciam, Hieruſalem occuparunt, captiuos in neruis abduxerunt , vrbemque victores euerterunt ? *Ne occidas eos.* Diuino credimus hoc actum eſſe conſilio, vt eos Romani principes nec radicitus euellerent, nec modo progeniem extirpent Iudæorum , qui in eorum ſucceſſerunt locum nec ipſe ſūmus Pontifex Romæ, & in alijs ſibi ſubditis ciuitatibus, nec Turca Conſtantinopoli, aut in imperij ſui terminis , aut in ſuis alij terris Monarchæ , vt ex illis diſcant populi mei: *Nequando obliuiſcantur populi mei* : id eſt colle-

cti

ſtí ex diuerſis, populi Chriſtiani illi, quos Do-
minus vocat populum ſuum, vt ſuperius dixi-
mus.

VII. En tibi (loquitur D. Chryſo.) ctrá Cainum
Cur Cain fraterni ſanguinis reum, Abelis homicidam,
à Deo diuerſo mortis generi obnoxium Deus extre-
morte nō mo non affecerit ſupplicio, ſed poſuit in ſignum,
plectitur. vt nullus ei manus iniiceret violentas, ſed pro-
fugus vaguſque mundi cardines obambularet,
totus corpore membriſque contremiſcens, ab
omnibus deſpectus: quia iam ab ipſis orbis in-
cunabulis præmittere voluit huius populi fœ-
difragi figuram, ſanguinis cædiſque illius
reum, qui, cum eſſet Deus, eorum ſe dignatus
eſt fratrem incarnatis. Omnes ſuffragantur,
reus eſt mortis. Statuit tamen Deus: *Ne occidas
eos*, eum occidat nemo, Princeps nullus, nulla
Reſpublica, ſed ſignati huc illucque diuagen-
tur, vt modo diuagantur, vbilibet, terrore con-
cuſſi, tremoribus agitati, Dei vineâ expulſi e-
iuſque Eccleſiâ eliminati; vt his populus inten-
dat Chriſtianus, fixâque retineat memoriâ: *Ne
quando obliuiſcantur populi mei*. Nouerit autem,
atrocius multò ſuum fore ſupplicium, ſi pari-
bus noxius ſceleribus eſſe conuincatur.

D.Aug. „ His conformiter D. Auguſt. Dauidis expen-
Pſ. „ dit verba, quæ ſigno illo explicat, quo Domi-
58.T.8. „ nus fratricidam Cain ſignauit, vt nullus homi-
„ cidam interimeret: *Ne occidas eos. Non ſine cauſa
Cain ille, qui cum fratrem occidiſſet, poſuit in eo*
„ *Dñs ſignum ne quis eum occideret. Hoc eſt ſignum,*
„ *quod habent Iudæi. Tenent omnes reliquias reli-*
„ *gionis ſuæ, circumcidunt, Sabbatum obſeruant, paſ-*
„ *cha immolant, azyma comedunt.* Ad quid hæc?
Pſ.58. „ manifeſtè ſatis ſuperque Dauid. *Deus oſtendit
12. mihi ſuper inimicos meos, ne occidas eos, ne quando*
„ *obliuiſcantur populi mei, diſperge illos &c.* Mira-
„ mur omnes quod de quibuſdam Dei populis
ſacra narrat hiſtoria. Ad terram abducuntur
Samariæ, & qui Deo ſeruire debuiſſent, grauiùs
illum offendunt. Regem excitat Dominus Sen-
nacherib qui cunctos in ſuam redigat pote-
ſtatem, ſibi captiuos inde educat; quorum loco
alios hinc inde collectos ſtatuit, qui regionem
incolerent. Illi verò illuc deducti in eandem la-
buntur vitæ proluuiem, qui nedum Deo non
deferunt, ſed & grauioribus irritant ſceleribus
4.Reg.17. nebulones. Quid tum Dominus? *Miſit in eos Do-
26. minus leones & ecce interficiunt eos &c.* Bene
meritum digniimque tot ſceleribus ſupplicium:
hoc enim exigebat iuſtitiæ ratio, vt illi, quibus
regionem Deus conceſſerat incolendam, quam
alijs in ſuorum pœnam abſtulerat peccato-
rum, pœnas luerent, ſi vel iiſdem vel atrociori-
bus Deum nequitijs irritarent. Iudæos Domi-
nus poſuit in Eccleſia, vt eius mandata ſerua-
rent; at illi tantis ſunt inhumani beneficiis, pa-
rũm eſt quòd Deo debitum non deferant cul-
tum; quinimo multis iiſque enormibus prodi- VIII.
tionibus, iniuſtitijs, idololatrijs diuinæ lædunt Iudæi
oculos Maieſtatis: plus æquo immiſit in eos per totũ
Imperatores Romanos, qui Deo periuros ſerui- mundum
tuti ſubijciant, totoque mundo vilia diſpergant ſerui diſ-
mancipia, nationum omnium contemptibile per- pergun-
ipſema. tur.

Eorum nos Chriſtiani locum occupamus IX.
nobis regionem illam Eccleſiæ ſuæ tradidit in- Nobis
colendam, nos infinitis beneficijs, doniſque cu- Dei legẽ
mulauit. Si autem tu, tu & ceteri veſtris Deum præuari-
proditionibus nequitijs, fraudibus, rapinis ad cantibus
iram prouocetis, non homines vobis immittet grauiora
peccatorum vindices, ſed leones infernales, imminẽt
qui in omnem vos diſcrucient, puniantque ſupplicia.
æternitatem? Congruè profero vobis Hie-
remiam immitia contra Babylonem minitan-
tem ſupplicia. Diuinam adeo maieſtatem Iu-
dæi ſuis prouocarant ſceleribus, vt omnino cõ-
ceperit illos Babylonijs, ac Chaldæis ſubijcere
captiuos. Quod cum notarent Babylonij, gra-
uioribus Deum exacerbant facinoribus. Præce-
pit Dominus Hieremiæ, hæc illis ex Dei præ- *Hiere.25.*
cepto annunciet. Quod ſit illorum iudiciũ, quid
ſibi perſuadeant, quo ſint à Deo mulctandi ſup-
plicio, tãtis totque criminibus non ferendis ob-
noxij? Quod ſi electo ſibi populo non pepercerit X.
iuſtus iudex, eorumque peccata condignis vo- Sicut
luerit plectere ſupplicijs, templum ſuum toto Chaldæos
orbe ſanctiſſimũ vrbemque tradiderit, in præ- expulſis
dam inimicis; quid ſibi futurum arbitramur? Iudæis.
*Hæc dicit Dominus exercituum. Bibentes, bibetis.* *Hiere.25.*
Illa loquendi phraſi certitudinem indicat futu- 28.
ri: q.d. certo certius calicem miſeriarum, malo-
rumque omnium bibetis: *Quia ecce, in ciuitate,* *Rom.11.*
*in qua inuocatum eſt nomen meum incipiam affli-* 21.
*gere, & vos quaſi innocẽtes & immunes eritis? Nõ
eritis immunes; gladium enim ego voco ſuper om-
nes habitatores terræ, dicit Dominus exercituum.*
Hanc ſpectat rationem Apoſtolus, quam expen-
dit & modo declarauimus: *Si naturalibus ramis
non pepercit, ne forte nec tibi parcat.* Illud (*fortè*)
dubium non infert, ſed certitudinem, vt notat
D. Ambr. & alia dicemus occaſione.

§.20. *Sicut*

**§. 20.** *Sicut timuere Iudæi videntes eiectos ad littus maris Ægyptios, timeat quoque Chriſtianus, dum Iudæos cernit per omnes diſperſos eſſe nationes.*

☞ 50 Rom. 11. 20. CONſideratu digniſſima ſunt hæc Apoſtoli verba præfatis præmiſſa: *Tu fide ſtas: noli altum ſapere, ſed time, ſi enim naturalibus ramis &c.* Quantum capio memoriam nobis renouat actus illius celeberrimi, qui inter omnipotentis brachij Domini opera ceteris extollit caput, dum Pharaonem, eiuſque exercitum rubri ſubmerſit fluctibus Oceani, in cuius gratiarum actionem Domino Moyſes hoc cecinit carmen: *Cantemus Domino, glorioſè enim magnificatus eſt.* (Exo. 15. 1.) Nemo hiſtoriam ignorat, lippis atque tonſoribus nota eſt Pharaonis ingratitudo, rebellio, cordis obduratio, cum enim Deus illo ſpectante tot tamque varia patraret miracula, nihilominus in impietate obſtinatior, miris Dei populum opprimebat iniurijs, qui ipſo conſentiente imo deprecante, Ægypto fuerat egreſſus; hoc vltimum cepit conſilium, egreſſos deinceps perſequeretur, numeroſiſſimũ conflans exercitum, qualem Ægyptus numquam viderat equitibus, curribuſque prope innumerabilem. Hac ferox intentione ducens exercitum, Iſraelitis mare rubrum ſicco veſtigio, transgreſſis, Regiſque fugientibus copias: *Inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus*: Nec his contentus, ſed & ſubmerſorum cadauera marinis fluctibus huc illucque agitatis ad littus eiecit, ſpectaculum Iſraelitis, *Viderunt Ægyptios mortuos ſuper littus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus contra eos.* Quid inde ſequitur? *Timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moyſi ſeruo eius.* Viden' quis huius fuerit ſpectaculi fructus? Timor, & fides: *Viderunt Ægyptios mortuos*, populi potentiſſimi & nobiliſſimi proiecta cadauera victricem Dei manum, brachiumque fortiſſimum. Num fortè Deo ſunt manus: & ſi ſunt, num vna magna, parua altera, vt dicat Iſraelitas vidiſſe: *Manum magnam quam &c.* In ſacris literis manus dicuntur miniſtri iuſtitiæ ſatellites, apparitores.

I. Timor & fides ex Pharaonis ſubmerſione. Exo. 14. 31.

Act. 12. 1. Eo ſenſu narrat D. Lucas: *Miſit Herodes rex manus, vt affligeret quoſdam de Eccleſia* id eſt ſatellites ſuos. Et de Pilato refert D. Ioa. *Apprehendit Ieſum Pilatus & flagellauit.* (Ioa. 19. 1.) Manus iniecit in Ieſum, & flagellauit non per ſe, inquit Lyran ſed per manus, apparitorũ tortorumque miniſterio. O mare, potentiſſimam Dei manum. Et quàm copioſum non conflauit exercitum marini vertices? Illis manibus, illis miniſtris Ionam apprehendit Dei manum fugientem. Illas miſit contra Pharaonem, illis exercitum cepit reluctantem: *Inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus*, in quibus illorum eſt deuicta potentia, humiliata ſuperbia, vita deuorata: *Miſiſti manum tuam, & deuorauit eos &c.* Deinde fluctibus modò in illam modò in alteram partem cadauera reiecta, quaſi de eorum ſuperbia temeraria inimicis, mare triumphum ageret glorioſiſſimum, tandem oculis expoſuit ſpectanda Iſraelitarum: *Viderunt Ægyptios mortuos &c. Timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moyſi ſeruo eius.*

Sæpenumero lego Deum præmonuiſſe populum ſuum, quod à ſe factum in gratiam populi contra aduerſarios ipſe immunis intueretur, idem ſibi in rebellionis & obſtinationis pœnam eſſe ſciret euenturum. Quàm illa populi contra Deum dura peruicacia? Quàm in Dei miniſtros crudeles & ſæui nimis, quos ille mittebat fructum poſtulaturos. Quàm execranda, & obſtinata contra Dei filium perſecutio? Quales ad eius mirabilia tenebriones? Quàm ad eius conciones ſurdaſtri? Quàm beneficijs inhumani? Eo vſque vt Pharaonem imitati, cunctas collegerint vires, copiaſque inſtruxerint, Sacerdotum, Seniorum, Doctorum, Pharſæorum, Gentilium militum armis roborati (quos illis in regionibus Romanum alebat ſtipendium) mare Dominicæ paſſionis ingrediantur: quocirca in tantæ nequitiæ pœnam, reduxit ſuper eos Dominus fluctus maris, potentiam Romanorum, arma militum, aquas Oceani, quibus miſerè demerguntur: *Inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus. Aquæ multæ populi ſunt.* Iudæorum, aquis ſubmerſa ꝑanima, ſine lege, ſine Sacerdotio, ſine templo, ſine honore, quinimo ſine Deo, ſicut prædixerat Oſeas. Iam eorum demerſa iacet inflata ſuperbia, honor vilipenſus, dignitas deiecta, confracta potentia, inter diuerſarum vndas fluctuſque nationum, vt nec pagum ſibi proprium tenuerint aut iure poſſederint. Heu quo Iudæi, maris fluctibus ad quatuor mundi littora reiecti. *Diſperge illos in virtute tua & depone eos protector meus Domine.* Manum magnam quam contra eos exercuit Dominus, admiremur. Quis illud agere niſi omnipotens potuit? En precor, qualiter diſperſus ille populus quondam nutritus in delicijs, pane cœleſti recreatus, aquâ de

petra

petra inebriatus, cunctis terrarum populis ſublimior, dignitate eminentior, bonis diues, Templo, Sacerdotibus, altari &c. venerandus, modo riſui & cachinnis omnium expoſitus, inter nationes, ſeu maris fluctibus quaquauerſū, diſperſus. Hæc cum tu conſpexeris, primum crede, cognoſce peccati Iudæorum acerbitatem quam Deus ſummo ſic puniuit rigore; crede Deum eſſe, qui hanc eis inflixit pœnam, cuius iuſtitia tantam ferre non potuit ingratitudinem. Secundum: *Noli altum ſapere, ſed time.* Si namque populum ſibi, vt primogenitum chariſſimum, tanta repulit ac diſperſit indignatione: quo te non plectet aduenam ſupplicio? *Si naturalibus ramis &c.*

III. Et conſummata credo & time.

51 Vt video facinus ſpectat Apoſtolus Regis Saül, quod Regum narrat hiſtoria; manu venit armatus copioſa Naas Rex Ammonitarum, corona cingit militari incolas Iabes Galaad, qui fractis animis, vtpote viribus inferiores ſuppetias ab Iſraelitis ſupplices inſtanteſque poſtularant, illi verò vt primum audierunt, qua premerentur ciues Iabes Galaad obſidione, illis ex toto corde condoluerunt, ſonoramque miſerandam elatis in ſidera vocibus deplorarunt: *Omnis populus leuauit vocem ſuam & fleuit.* Opportunè illis adeſt Saül nouus electus vnctuſque rex ex boum agaſone, qui populi audiens eiulatus, triſteſque gemitus, ocius interrogat: *Quid habet populus, quod plorat?* Quis caſus ſiniſter planctum hunc lugubrē elicuit? Bonus Rex, vt populum videt afflictum, ilico de remedio cogitat, & ſolamine. Reſpondent: nouis ad nos tráſmiſſis, auditiſque extremis anguſtiis, quibus oppidani Iabes Galaad, à Rege Naas Ammonitarū opprimuntur, mœrore populus contabeſcit. Inuaſit autem ſubitò Saülem ſpiritus charitatis & zeli opitulandi obſeſſis, & ab vrbe Ammonitas circumſedentes depellendi, quocirca proponit illis bellum indicere, vtque populum tantò fortiùs animaret, ad arma ſumendum, & in aciem prodeundum manu numeroſa, boues ſuos in partes diſſecat, quas duodecim ſingulas mittit tribubus, in hæc verba, viuit Dominus: *Quicumque non exierit, & ſecutus fuerit Saul & Samuel, ſic fiet bobus eius.* Ad quæ (ſic Spiritus S.): *Inuaſit timor Domini populum:* vt enim vidit populus facinus hoc regis adeo ſeuerū in proprijs ſpectans oculis hanc truculentam boum lanienam cunctos ſtupor apprehendit, terrorque vehementiſſimus, qui tantus fuit vt timor Dei diceretur: *Inuaſit timor Domini populum.* Dicto citius conueniunt & arma ſumunt de Iſrael trecenta millia, & ex Iuda triginta millia animo leonibus ferociores, qui tanto in Ammonitas irruerunt impetu, vt cunctos caſtris expellerent, fugarent, ſuperarent.

1. Reg. 11. 7.

IV. Timēt Iudæi ob mactatos à Saüle boues.

Deus bone! quis effectus, ex eo quod regem viderint, boues mactaſſe ſibi proprios, & quis non multò præclarior, ſi proprijs ac chariſſimis ſibi non pareceret, filijs? Quo tu non timore concutiendus, quo terrore non percellendus, dum cernis Deum ſuos mactaſſe boues, populum inquam electum in partes diſcerpſiſſe, quinimo illos quos in mundo velut ſibi chariſſima pignora diligebat, de quibus teſtatur: *Primogenitus meus Iſrael.* Qua illos ſeueritate diſperſerit, & velut membratim diſciſſos quaquauerſum per orbem dimiſerit, quòd, ille ipſe ſit, qui Iudæos, licet populum ſuum, & velut boues ſuos, imo filios ſuos incerto detinet exilio. Contremiſce, tibi caue, quid tibi, quid de te faciet; cum populus eſſes reiectitius & peregrinus, nullius laris, in eorum te benignus ſubſtituit locum vineamque commendauit: *Noli altum ſapere, ſed time, ſi naturalibus ramis &c.* His adde, parum eſt quod manus bobus iniecerit violentas, inſuper: *Proprio filio non pepercit*, vt peccatum expellat, vt tua deſtruat crimina, quo non furore excandeſcet in te inimicum ſuum, incorrectā tua morum malitia illi ſemper aduerſarium? Attamen de hoc poſtremo alia fuſiùs agemus. Illud modò ſupplicium verſetur ob oculos, quo electum ſibi populum acerbiùs perſtrinxit, vt timor Domini te percellat, inuadatque ſalutaris: *Quod ſi naturalibus ramis Deus non pepercit &c.*

V. Timeat Chriſtianus ob eiectos Iudæos. Exo. 4. 22.

## §. 21. *Chananæos, quia peccatores, eiecit Deus, & Iudæos ſubſtituit, hos vt ingratos exturbauit, & Chriſtianos ſubrogauit; quod ſi hi peccatores, quid cum illis agendum?*

COeleſti quadem eloquentia diuinā nobis exponit Spiritus S. bonitatem, & quam ſit à conditione eius ac voluntate alienū, punire peccatores: quandoquidem illis hoc indulgeat, quod ſingulis diebus millies experimur: nimirum, dum homines, quibus Deo ſeruire, & gratificari in omnibus incumbit, illum grauiùs exacerbant, peccantes non ſtatim, non prima vice, non ſecunda condemnat ad inferos, ſed primum ſemel ac ſæpius illos commonet, corrigit, modò per ſeipſum ſuis inſpirationibus, internis cordis commotionibus, animæ perturbationibus, 52

I. Dei bonitas in peccatores.

rioribus, modò per prædicatores exteriùs, modò per afflictiones, quibus aperiantur obtutus, & ad meliora prouocentur; modò per ſingularia Sap.12.1. beneficia: *O quam bonus & ſuauis eſt Dominus ſpiritus tuus in omnibus, ideoque eos qui exerrant partibus corripis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris, vt relictâ malitiâ credant in te Domine.* Illud *partibus corripis* indicat, quòd diverſis modis, vijs, partibus eorum intendat correctioni. Porro adiungit, quod ſi nec hoc nec illud profuerit, nec his omnibus à malitia reſipiſcant meliores, & quo benignior Deus, eò ipſi ſunt nequiores, tali pertinaces plectet ſupplicio, quo perdat in æternum.

II. Probatur in Chananæis &c. Hoc liquidò ſatis probat in ſeptem illis nationibus, omnium quas mundus pertulit, peruicaciſſimis; Chananæis, Amorrhæis, Phereſæis, Hethæis &c. In quas Deus ſæpius inuehitur, vtpote mortalium peſſimas, cœlo, terráque indignas; quibus iam erat malitia altera natura: *Nequam eſt natio illorum, & naturalis malitia ipſorũ.* Iam erat illis nequitia, vt venenũ ſerpenti, & buſoni putredo. Illis terram conceſſit incolendam, fœcundam, fluentẽ lacte, mel, diuitijs, boniſque affluentem, quam vt quid magnũ, intimo ſuo amico Deus promiſerat Abrahæ ſuiſque Deut. c. 11. 8. poſteris. Terra Sancta: *In qua ſunt oculi Domini à principio anni vſque ad finem eius.* Huius igitur terræ poſſeſſores Chananæi, cum illi ſeruire tenerentur, qui tantis illos extulerat beneficijs, in omnem ſeſe præcipitarunt ſordis ignominiam, nequitias exhorrendas, nullis non Deũ irritarunt ſceleribus: parum namque mali eſſe videbantur, ſi communibus ſe darent iniquitatibus ad eum inſuper aſcenderunt malitiæ gradũ, vt proprios filios Dijs ſuis holocauſta cõſecrarent & ad maiorem feſti ſolemnitatem in ipſis ſacrificijs aſſas filiorum carnes deuorarent, eorumque viſcera in fercula proponerent ac ſumma ſanguinem haurirent voluptate. quæ omnia, (ſi ſic fari liceat) ipſi Deo horrorem nauſeamque prouocabant. Nec non plurima cum dæmone præſtigia, fœdera, contractus ſanciebant, quæ dicuntur: *Medicamina & ſacrificia iniuſta. Illos enim antiquos inhabitatores terræ ſanctæ tuæ quos exhorruiſti, quoniam odibilia tibi opera faciebant per medicamina & ſacrificia iniuſta, & filiorum ſuorum necatores, ſine miſericordia & comeſſores viſcerum hominum, & deuoratores ſanguinũ &c.* Nihilominus nec illos voluit ſtatim exterminare, tantorum criminum, ac homicidiorum reos ſed magnâ motus miſericordiâ illos exſpectabat, & vt illos corrigeret, veſpas, & muſcas mittebat, quæ illos tam acriter morderent, vt quos pungebant occiderent: *Sed ijs tanquam hominibus peperciſti, & miſiſti anteceſſores exercitus tui veſpas, vt paulatim illos exterminarent.* An ergo languida erat, magne Dñe, manus tua tot illis immitteres vrſos, leones, tigrides, de cœlo fulgura, tonitrua &c? *Non quia impotens eras &c. ſed dabas locum pœnitentiæ.* Licet enim prænoſceret Deus, eorum adeo pertinacẽ ac inueteratam malitiã, qua ad ſaniora non conuerterentur, tamen ex parte ſua quantum in ſe erat, hæc agebat, vt miſericordiæ ſuæ, irrefragabile daret argumentum: *Non ignorans quia nequam eſt natio illorum, & naturalis malitia ipſorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio eorum in perpetuum.* Diſtuliſti tamen Dñe ſupplicium, longanimis exſpectans, & peruerſam eorum attendens naturam peccata conniuendo præteribas.

Eâ patientiâ Dñs eorum ſuſtinuit mores annis quadringentis. Verumtamen, illos in peccatis obduratos, imo per ſingulos dies in peiora corruentes cum tantam diutiùs ferre non poſſet iniquitatem, tantam ingratitudinem, tandem idololatriam exterminauit. Populum ſuum electum de Ægypto prouocauit, acrebelles illos ingratoſque de terra illa ſancta, Deo dilecta eijciens, eiuſdem ſecuros ſtatuit eſſe poſſeſſores, beneficijs auxit infinitis, vt melioribus Deo reſponderent obſequiis, quem nequam illa natio ſceleribus irritarat: *Illos perdere voluiſti per manus parentum noſtrorum, vt dignam perciperent peregrinationem puerorum Dei, quæ tibi omnium charior eſt terra.*

Hoc illis contulit beneficium quod ita propheta regius extollit: *Vineã de Ægypto tranſtuliſti, eiecisti gentes & plantaſti eam.* Fuere Chananæi lapides illi, quos, ipſo teſte, per Iſaiam, exſtirpauet de terra illa, vt populum illum electum ſubſtituerit: *Lapides elegit ex ea,* erãt lapides illos duriſſimos Chananæos, Phereſæos &c. gentem illam ferocem, ingratamq; idololatram, in quorum locum plantauit populum ſibi chariſſimum. Vt primum hic terram incoluit pacificus poſſeſſor, en adeſt Deus qui ſingularibus, & præclarioribus quàm Chananæos, populum efferi beneficijs, his illum deuinciens, vt talia eorum eſſent in Deum ſtudia, quibus priorum defectum diligentiores emendarent. Legem, & mãdata præſcribit, Sacerdotes, ſacrificia, templũ, prophetas, diuitias, dignitates, & confert æſtimationem. Hæc autem peruerſa fuit eorum iniquitas, vt anteceſſores ſceleribus longè ſuperarent, omni peccatorũ genere Deo iniurioſi: *Introduxi vos* [illegible]

III. Iudæi in locum ſucceſſerunt Chananæorum.

Pſ. 79. 9.

Iſa. 5. 2.

IV. Iudæi peiores ipſis Chananæis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

*vos in terram Carmeli &c. & contaminaſſis terrã meam, & hereditatem meam poſuiſtis in abominationẽ.* Altaria in terra ſancta idolis erexerũt, & Deo abiurato, illa adorarunt, & thus illis obtulerunt, quinimo filios ſuos idolis immolauerũt, rem adeo deteſtandam, Deoq; inuiſam.

Non idcirco perdidit illos, ſed famulos ſuos delegauit prophetas prædicatores: *At illi ſubſannabant nuntios Dei, & paruipendebant ſermones eius, illudebantque prophetis.* (2.Par.36. b.) Veſpas excitauit quæ carnes pungerent; modò Nabuchodonoſor, modò Thelgat Phalaſar, modò reges alios qui illos ſubiugarent, modò nationes barbaras, à quibus ſub cultro dimiſſi ad ſummam lineam peruenerunt: nec tamen inde meliores: quinimmo peccata peccatis ſuperaddentes in turpiſſimum omnium & maximè deteſtandum labuntur crimen: vt in honorem, gratiamque idoli ſui magni patrisfamilias filium mactare non verentur. Idolum autem Iudæorum, quod Deus quale nullum aliud execrabatur, eorum erat auaritia, auri cupiditas, hoc quippe monſtrauit Ezechieli, quaſi quod eum acerbiùs irritaret, ac in grauiſſimam ſuam cederet ignominiam: *Idolum zeli.* Quid Deo conſilij? Terra mihi gratiſſima nullatenus inculta deſerenda: veniant Gentiles, populus licet peregrinus, inimicus barbarus amodo tamen illum eligo, ipſe terram ingrediatur, occupet, & hoc in Iudæos perpetret, quod illi in anteceſſores, exſtirpet, eliminet perdat, ac ſeipſum perpetuum reddat terræ poſſeſſorem.

V. Idcirco de vinea eijciuntur.

Hoc illis comminans Deus prædixerat ore prophetico: (Oſe.c.9.15) *De domo mea eijciam eos & non addam, vt diligam eos.* Altera vice terrâ illâ emancipauit, velut domo ſua, ac in Babyloniam extorres eliminauit: elapſis attamen annis pluribus, ſoluit ſeruitutem, miſericors ignoſcit, & in primam reduces admittit hereditatem: at modo: *Non addam vt diligam eos,* ſic modò mulctauit Iudæos; terrâ ſanctâ exturbauit, domo ſua, id eſt Eccleſiâ emancipauit, extorres elongauit, ſine fide, ſine templo, ſine ſacramentis, ſine ſacrificijs, ad perpetuum damnati ſunt exilium & ignominiã. Nos autẽ in illam admiſit, nobis illam elocauit domum, vineam commendauit: quid, quæſo, nobiſcum acturum arbitramur? Perpendamus ingreſſi Eccleſiam, & Dei domũ: qua mentis Deum colimus deuotione? Quas tantis beneficijs pares referimus gratias? Caueamus ne cum in eorum commutationem non niſi peccata deferimus, nos illa quoque exterminet, aliam inducat nationem, quæ fidelior, gratior, gratiorque tanto ſerviat benefactori, Caueamus, ne in nobis hoc quoque decretum ferale compleatur, quod illi protulerunt, quod Chriſtus confirmauit vt iuſtum, quod breui poſtmodum tempore mandauit executioni: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum illius.* Quod prius vineam dixit, modo Dei vocat regnum. Hoc namque Deus numquam deſtruet, permanet enim Dei Eccleſia in æternum & vltra. Sin vero tuo negligens defueris officio, te quoque profugum manu mittet, populum aſſumet, te & diligentiorem & gratiorem: *Non perijt vinea* (eſtatur D. Bernar.) *ſed migrauit.* Timeamus in Hiſpania, vbi Dei benignitate fides adeo firma conſiſtit, nobiſque partem Deus Eccleſiæ ſuæ conceſſit principalem, ne nos quoque exturbet; quod ſi nos officio noſtro defuerimus, Deo non deerunt, qui melioribus reſpondeant ſtudijs, & tantis beneficijs gratiores.

VI. Caueamus ne ipſi quoque eijciamur.

D.Bern. Ser. 30. in Cant.

Mirabilem procedendi modum non prætereamus, quem Chriſtus in plantanda ſeruauit Eccleſia. Statim in principio ab eius orditur pace, claritatem lucemque Ægyptijs infundit Euangelij, qui tanto feruore, pietate tanta, Dei beneficijs reſponderunt, vt orbem raperent in admirationem: Clauſtra monachis, deſerta virent anachoretis, vrbes replentur monaſterijs, in quibus velut in aluearibus cœleſtibus, faui ſuauiſſimi Deo conſecrantur. Tantus erat Monachorum numerus, quantum enumerat D. Hieronym. D. autem Chryſoſtom. multitudinem refert ciuitatis Thebanæ prope infinitam. Animis hi elanguerunt, pietate torpuerunt, & in eorum locum monachos ſuffecit Græciæ, vbi pullularunt monachi tanta vitæ morumque integritate conſpicui, quales notamus D. Baſilium multorum cœnobiorum parentem architectum, D Gregorium Nazianzenum, D. Gregorium Nyſſenum, D. Chryſoſtomum &c. Quàm ſolidè fides radicata Conſtantinopoli? Hi quoque Deo infideles. Lucem ſuam Dominus in occidentem ab Oriente declinauit Euangelij. Quàm proſperè, ac dextero Deo fides plantata germinauit. Tot annis feliciter in multas excreuit dilatata propagines, profundas in fidei conſtantia radices egit, in omnimoda Romano Pontifici, nationibus alijs ad inuidiam, obedientia hactenus ſecura firmaque perſeuerat. Caveamus ne nos tepentes expellat Deus; ad Indos, ad Chinas, ad Philippinas migret Eccleſia. Faxit Deus, vt illis Sol ortus Euangelij, non ea ſit intentione, vt illis oriens, nobis

VII. Mirabilis modus plantandi Eccleſiã.

occidat male fortunatus, fructus adferamus, Prudentes ſimus & ſagaces, vt ex generatione illa peſſima & peruerſa ſumentes diuinæ ſeueritatis exemplum, generatio ſimus altera, grata, electa, ac fœcunda, vt fructus gratiæ bonorumque operum referentes, gloriæ meſſem colligamus æternæ. Amen.

# SVMMARIVM
## HOMILIÆ DECIMÆOCTAVÆ SEQVENTIS.

CRISTVS prætendit in hac parabola, ſuã magnam declarare miſericordiam, noſtræ fidei probans articulum, quòd peccata dimittat, in gratiam recipiat peccatores etiam iniquiſſimos, ſi ad ſinum recurrant miſericordiæ pœnitentes. *a.* Primum impudentem exponit malitiam, *a* §.2.
paruumque iudicium peccatoris, qui paternos vltro deſerit lares, vt 3.4.
ſua potiatur libertate. *b.* & in regionem abeat longinquam. *c.* vbi luxurioſè viuen- *b* §.5.6.
do ſuas impudicus dilapidauit facultates: proprius hic eſt libidinis effectus. *d.* illis au- 7.8.
tem minimè ſatur, fame torquetur grauiori, *e.* qua preſſus diabolo ſe tradidit in por- *c* §.9.10.
carium. *f* hoc etenim ſibi ſeruientibus imponit oneris, fame ſeruos enecando. *g.* Se- *d* §.11.
cundum, Dei proponit miſericordiam, qui miſero condolens peccatori, benignitatis 13.
in eum conuertit oculos, quibus in ſe reuerſus, ſuos aperit illuminatus, vt eos ad pa- *e* §.14.
tris reflectat ædes, paniſque recordetur abundantiæ, qua famuli in illa perfruuntur. *f* §.15.
*h.* Et quod reuertenti lætus occurrat peccatori, brachia benignus extendat oſculum 16.17.
pacis pacificus offerat. *i.* tantoque recipiat gaudio, tantaque miſericordia, amoriſque *g* §.18.
tractet indicijs, vt maior natu filius obloquatur. *k.* *h* §.19.
20.21.
22.
*i* §.23.
*k* §.24.

§.1. *Labilem creauit Deus hominem, vt haberet cui peccata miſericors dimitteret, de quo maxime gloriatur.*

§.2. *Tanta eſt Dei miſericordia, vt de illa Sancti, velut Iſaias & Ionas, conqueſti fuiſſe videantur.*

§. 3. *Nullum eſt peccatum irremiſsibile, quod non infinities à Dei miſericordia ſuperetur, quod ad noſtrum ſolatium multoties ratum facit.*

§.4. *Præ cæteris maiori ſtudio, Chriſtus, verbis, parabolis, iureiurando, ac operibus hunc fidei docuit articulum:* Remiſſionem peccatorum.

§. 5 Homo quidam. *Se Patrem nominat Deus, vt amoris ſui ferat teſtimonium, ac Chriſtianis peccatoribus ſperandam eſſe doceat indulgentiam.*

§.6. Adoleſcentior. *Optima ratione vocatur peccator adoleſcentior, licet centenarius, vt Cain & Abſalon.*

§. 7. Abiit. *Non eijcit domo ſua Deus peccatorem, ipſe tam impudens eſt, vt ſponte diſcedat, contra quem Deus proteſtatur.*

§. 8. Diuiſit ſubſtantiam. *Non aufert illi Deus libertatem, qui vult abire, eumque deſerere, licet ſit ille deplorandus.*

§. 9. In regionem longinquam. *Peccatum regio eſt tam procul diſtans à Deo, vt dicat eo vſque nec manus ſuas, nec oculos poſſe pertingere.*

§.10 *Quo tendat, non attendit peccator: Ezechielis portento, iumentis Iſaiæ, vaſeque Zachariæ præſignatus.*

§.11. Diſſipauit ſubſtantiam. *Decoxit ſubſtantiam ſuam, effectus luxuriæ per quem illam Iob deſcribit.*

§.12.